R. P.

IOAN. VOELLI,

SOCIETATIS IESV,

GENERALE ARTIFICIVM

orationis cuiuscunque componendæ, longè facilimum:

&,

DE RATIONE CONSCRIBENDI

Epistolas præceptiones vtilissimæ.

ACCESSERE, REGVLÆ ARTIFIciosæ pronunciationis, actionis, ex Cicerone potissimùm & Quintiliano singulari iudicio collecta.



COLONIÆ AGRIPPINÆ,
In Officina Birckmannica, sumptibus
Hermanni Mylii.

ANNO M. DC. XI.

Cum priuilegio Sacr. Cæsar. Maiestat.

P. Erdard Camelo in Insula Vigrensi

CLARISSIMO

DOMINO, D. ANTHONIO VILLANOVANO CAtholici Regis aurei Velleris equiti nobilissimo, nec non Dolanæ vrbis militiæ præfecto,

IOANNES VOELLVS Societatis IESV, Vitam cum Christi gratia diuturnam.

ABSVRDVM cuipiam fortasse videbitur (clarissime Dynasta) vnum te inter omnes à me delectum, cui sagato & arma tractanti, res togatorum magis propria, & pacis alumna, ornate, copioseq́ quidque dicendi ratio potissimum dicaretur. Silent enim plerumque vt leges, sic & artes, & artium exercitationes inter arma. Omnia nobis literarum studia de manibus excutiuntur, simulatq́ motus aliquis nouus bellicum canere cœpit * eloquentia parens. Promulgatis enim tympani strepitu prælijs, iuuentus rei bellica cupidior, quam literaris studiosior, pro ludi magistro, militia ducem eligere:

* Cic. in orat. pro Muræna.

 sagum,

sagum, pro toga induere: pro stylo gladium accingere: pro theca & cornu, sclopos & coniophacium assumere consueuit. Quo fit, ut vix ulla bonarum artiū disciplina videatur posse in militiæ regno consistere. Sic sane illi iudicent, qui te nūquam de facie norint: qui te nunquam viderint: qui tuam humanitatem singularem nunquam sint experti. Quæ profecto tanta est, ut & ab omni disciplina humanitatis profecta, & in uno eodemq; animo, nedum in uno eodemq; regno & militiæ (si qua est) immanitas, & humanitas disciplinæ locum habere videatur. Quod ut non ita sit: duæ tamen sunt facultates in dissimili genere persimiles, quæ ad mortalium salutem conspirant omnino: una imperatoris, altera oratoris boni. Utrique porro, huic animorum, illi corporum est proposita victoria. Alter enim administrator belli gerendi, alter peritus bene dicendi. His argumentis in oratione, ille militibus in acie prudenter dispositis tendit ad victoriā. Nihil de castris dico, nihil de agminibus, nihil de signorum collationibus, de oppidorum oppugnationibus, de commeatu, de insidijs faciendis atq; vitandis, de reliquis rebus, quæ sunt belli administrandi propria, dico nihil. Quibus multa esse in eloquentia quæ respondeant, quis non videt? Nam aduersariorum orationes tanquam castra & oppida munitissima, argumentationum machi-

nis oppugnantur: militũ agmina, argumentorum agminibus, signis quasi collatis, opponuntur: testimoniorum commeatu atque subsidio omnia confirmantur. Quin etiam cautus & prudens orator, non secus ac prudens imperator, omnes aduersariorum tendiculas obseruat, agnoscit, vitat. Milites, vt ille diuinus ait * Plato, feroces hostibus, subiectis mites, vrbem custodiunt: quod idẽ nisi praestarent qui hastas argumentorum splendidè vibrant, Philippus Macedo Atheniensium oratores Athenis abducere nunquam tentauisset. Omnes vrbanae res, omnia huius Academiae Dolanae praeclara studia, & forensis sapientissimorum senatorũ labor, latent in tutela ac praesidio bellicae virtutis: simulatq; increpuit suspicio tumultus, artes illico nostrae conticescunt. Alexander * interrogatus qua via tam celeriter orbis totius imperium obtinuisset: consilio, inquit, eloquentia, & militari disciplina. Parua enim sunt foris arma, si non est consilium domi: & consilij vis exigua, quod nõ facundè explicare possis. Optimus certè imperator ille, vt Caesar, qui & militari disciplina & eloquentia splendescit. Tanta est harum facultatum cognatio: tanta est armorum & argumentorum affinitas. Nullus ergo miretur librum oratorium, artificium, inquam, instituendae quauis de re orationis, homini rem bellicam sectanti consecratum.

* Plato in Timaeo.

* Plutarchus in libr. An seni administrãda resp.

* Thucy. l.6. in cōcione Alcibiadis.
* Vide Cic. 2. de orat 75.

*Nec enim, vt quidam * Pyrrho, sic nos tibi, vir illustrissime, aciem instruendi rationem proponimus: ne idem, quod ille responsum feramus, imperatore tibi non esse opus, cuius aures litui sonus nunquam percusserit. Neq; id quod peripateticus ille * Phormio Annibale audiente fecit, plures horas de Imperatoris officio, & de omni re militari, te audiente, disputaturus sum: ne tibi meritò, vt ille Annibali, delirare videar. Sed quod ante annos circiter quatuordecim in vniuersitate nostra Turnonia cum illic rhetoricam profiterer, vtcunq; dolaueram, componendæ orationis artificium, id nunc, superiorum meorum iussu, mandandum typis, recognitum, & auctum, sub nominis tui vexillo in solem prodire volui, quod & nobilitati studiosæ ad legationes obeundas, ad milites excitandos, ad seditiones comprimendas adiumentum: & mei erga te, tuiq; vicissim erga me amoris argumentum esse possit. Nam & ego in ditione tua sum natus; & tu pro tua pietate fratrem de fonte sacro suscepisti: & singularem quandam in me meosq; humanitatem semper ostendisti: & literatos omnes, eos præsertim, qui cum literis religionem coniunxissent, coluisti. Quæ cum ita sint, clarissime vir atq; humanissime, perge nos amare vt cœpisti, & hoc munusculum, quantillum idcunq; est, eo sit loco apud te, vt studiosi oēs magis ac magis ad*

eloquentiã inflammẽtur. Nam & imperator bonus fouet oratorem bonum: & bonus orator imperatori bono præsidium & ornamentum affert. Bene vale. Ex ædibus nostris 7. Idus Iunij 1588.

TYPOGRAPHVS LECTORI.

QVI numeri amice lector, in hoc Artificio citãdis M. Tullii libris ad marginem notantur : ii sunt quibus non ita pridem D. Alexander Scot, Scotus vir eruditione clarus, non minus laboriosè, quam vtiliter & commodè omnia eiusdẽ opera dissecuit: quæ Lugduni sumptibus Ioannis Pillehotte cum apparatu Latinæ linguæ in Ciceronem numeris iisdem vtrobique sibi respondentibus, anno 1588. in duodecimo prodière. Vtere omnibus ad tuam multorumque salutem: & Vale.

AD CHRISTIANVM LECTOREM.

SI labyrinthæi sinuosa per antra recessus
Erro vagos tēdas (lector amice) gradus.
Qui tua Thesæo ducat vestigia filo,
Quæ grati huic animi signa referre velit?
At vel Aristotelis, Marci vel scripta pererrant
Cæca per obliqui tecta vagare specus.
Iam radijs tenebras ambages limite pandat
Perfacili textus si breuitate liber:
Non mage gratus erit, quo pulchrior omnib⁹ una
Artibus ars fandi est, sitq; labore labor?

ΠΡΟΣ ΤΟΝ ΑΥΤΟΝ.

Εἰπ' ἄγε τί θνητοῖς μᾶλλον κλέος ἐσθλὸν ὀπάζει,
Ἀμειβόντα χέειν ἐκ στομάχοιο λόγους.
Ἠδὲ τί κυδάλιμον μᾶλλον βρότῳ ἤ μὲν οἶδε
Τῶν ὑποπελυμαθῶν ἐκθεῖν ἄριστα νοεῖν.
Ἀλλ' ἄγε σὺ γλώσσους γλυκερὴν ῥέειν ἔλδεαι αὐδήν;
Ἔλδεαι εὐφραδέως πάντα φραδέντα φρονεῖν;
Δεῦρ' ἴθι, ἀμφοτέρου μέθοδον, διδαχήν τε μαθῆσαι,
Ὄφρα θεῶν κῦδος, σοὶ ὄφρα καρπὸς ἔῃ.

GENERALE ARTIFICIVM TEXENDÆ, SEV COMPONENDÆ cuiuscunque orationis longè facilimum.

PRAEFATIO.

COMPONENDÆ *orationis rationem traditurus & viã, qua mihi omnium facilima, & commodissima videatur: initio illud omnes præmonitos velim, ne artem hic eloquentiæ à nobis perfectam tradi putent sed ea tantum præscribi, quæ seruari ab ijs oporteat; qui cum artis præcepta affluentius aliunde hauserint, quo tamen modo sit utendum præceptis, quove modo sit artificiosè componendum, ex ipsis nondum planè didicerunt. Nam plerique vel mediocriter eruditi, quamuis quæ de bene dicendo præcipiũtur à rhetoribus, cumulatè perceperint, tantis tamen plerunque tenebris offunduntur, cum sese ad scribendum comparant: ut vel ipsi quid dicant, vix inueniant, vel si quid inuenerint, rectam in eo collocando seriem minimè seruent: cumque duas tresve orationis partes utcunque distinxerint; in quas res plerunque pulcherrimas*

 mi-

minus ornatè & minus ordinatè contulerint: Tum demum se oratoris munere perfunctos arbitrentur. Sed quam longe ab hoc absint, illi facilè iudicent, qui eloquentia plene imbuti, & noua peritè ipsi componere, & in aliorum scriptis artificium solerter obseruare norunt. Atq; vt sint nonnulli, qui nec inscitè, nec indisertè illa præstent, deformitate tamen agendi fœdant omnia. Demus etiam reperiri nonnullos: quibus horum nihil omnium desit, vt & artis præcepta perfectè norint, & iisdem vtantur scienter; hoc illis tamen vnum deest: quod ex eorum eloquentia & oratione, omnibus (vt ita dicam) numeris absoluta, nullus eloquens, nullus artificiosè dicendi, non perspecto eloquentis artificio, peritus euadit. Faciem enim orationis multi cernunt: intima verò corporis, & succum, & sanguinem per totum corpus diffusum, aliaq; id genus nec minima, nec obuia, perpauci. Quoniam ergo tria* videnda sunt oratori, quem hoc artificio instructum volumus, quid dicat, & quo quidque loco, & quomodo (quippe qui rem oratione tractandam sagaciter perpendere, ad tractandum adhibendam subtilitèr munire, inuentam ordinatè distinctèque disponere, dispositam splendore verborum & actionis illustrare debet) dicendum omnino est, quid sit ei spectandum

*Cic. in Orator. sect. 43.

dum

ctandum in singulis: sed aliquantò secus atque in tradenda arte dici solet Nulla enim artis ordine praecepta ponemus (neque enim id suscepimus) sed artificiosæ orationis speciem & formam adumbrabimus: quidq; in ea componenda sequendum, quid fugiendum sit, exprimere conabimur.

(.:)

DE QVAESTIONE PENITVS COGNOSCENDA.

CAPVT I.

a Apud Cic. in 2. de Orat. 99.

b Fab. li. 12. ca. 8.

c Rodulp. l. 2. de inuẽt Dial. cap. 10.

QVICVNQVE igitur vel meditando, vel scribendo de re quapiam conficere orationem parat; hoc ei primum præcipiemus, quod præcepit *a* Antonius ei, qui causas ciuiles acturus est, Quācunque quęstionem sibi tractandam sumpserit, id est, quamcunque rem, de qua disserere liceat, tractaturus erit, vt eam diligenter penitusque cognoscat. Quod idē *b* Fabius & Rodulphus *c* Agricola faciendum prudenter admonet, rēque totam copiosius explicant. Eam nos paulò & breuius & planius aperire conabimur. Ille igitur quæstionem, meo quidem iudicio, facilè perspectam habere poterit: si quam vim habeant eius partes, quid valeant, perspexerit. Nisi enim quæ vocibus quæstionis omnibus subiecta notio sit, intelligat, non poterit, nisi fortuito, quin imprudens in res à proposito prorsus alienas frequenter impingat. Planum fiat exemplo, quod dicimus, & qua-

quæstio in vtramlibet partem disputãdo ponatur huiusmodi.

An litterarum studia sint amplectenda?

Subiecta pars quæstionis huius, duobus ex vocabulis constat, vnicum pars habet attributa. Nam sæpenumerò accidit vt non duæ modo; sed plures etiam in vtraque parte quæstionis voces reperiantur, vt etiam docet Aristoteles *d* terminos complexos communes disserendi doctores vocant. Sed quotquot erunt, eas sigillatim expendere oportebit, quidque potestatis vnaquæque habeat, diligenter exquirere. Quapropter in proposita quæstione videndum est, quid studiorum, quid litterarum nomine, quid denique participio, quæ pars est attributa quæstionis huius, declaretur. Nam studia, etsi aliis locis aliter interpretari licet, hic tamen idem valent atque exercitationes. Litteræ autem significant bonas artes, quæ litterarum monumentis continentur. Alibi hoc ipsum nomen alio sensu variè vsurpant autores. Porrò amplecti propriè circumnectere, & circumligare significat, cùm iunctum id verbum sit ex, am, quod est, circum, & plecti, quod nectere, & ligare est, à πλέκω, id est, necto, plico, ligo. Sed hæc significatio abhoc

d *Arist. l. 1. priorũ. Analyt. cap. 33.*

loco aliena est: metaphorica est huius loci propria, quę est vehementer amare, aut amare simpliciter. Amplexus enim amoris indicium est, cum quos charos habemus eos amplecti subinde soleamus. Quin etiam nexus, aut vinculum, recte amor, & beneuolentia dicatur. Neque verò hæc otiosa translatio est; propterea quod in ipso cursu orationis, vel similitudines, vel argumenta alia ex locis comparatorum deprompta suppeditare poterit. Tanti refert sæpenumero quibus vocibus in quæstione, quæ tractanda est, vtamur. Quod si perfectissimam, & ad reliqua vtilissimam quæstionis cognitionem habere volet, non satis habebit vim vocum ambiguarum (quando tales inciderint) propriam eius loci, quem tractet, ab aliis distinxisse: sed hoc iacto quasi fundamento, quæ definitio sit cuiusque rei, per quamque quæstionis vocem significatæ, quæ partes, id est, quæ quasi membra, vel species: quæ coniugata sint, quæ notatio cuiusque verbi: quæ item similia, vel dissimilia singulis respondeant, quę vt maiora, vel vt minora, vel vt paria illis comparentur, quæque contraria sint, quæue repugnent: quæ adiuncta, quasque proprietates habeant, quæ subiecta, quod genus, quod totum: qui denique sint earum

effectus, quę causę reperiãtur: hæc, inquã, vel omnia, vel pleraque, quoad singulæ quæstionis voces ferent, ex hominum doctissimorum sententia, diligenter inquiret: & ad ea intelligenda studium saltem mediocre adhibebit; atque ita perfectam quæstionis cognitionem assequetur. Quamquam à tyronibus tanta forsitan accuratio, tamque subtilis rerum inuestigatio non est requirenda. Exemplis omnia superiora illustraremus, nisi paulo post commodius, ne bis eadem repetere cogamur, essent proferenda. Sed cùm quæstiones partim infinitæ sint, quæ ex vocabulis, id est, nominibus appellatiuis, vt loquuntur grammatici, constant, & Græce theses, Latine consultationes, aut proposita nominantur: partim finitæ, quæ ex nominibus propriis constant, & hypotheses Græci, Latini causas, vel controuersias appellant: Cumque ad vtrumque genus cognoscendum quæ adhuc exposita sunt cõueniant: Si tamen finita quæstio tractanda proponatur, diligentius peruestiganda erunt omnia, quæ iis rebus, quæ propriis nominibus significatæ sunt, peculiariter tribuuntur, siue personæ demum illæ sint, siue loca, siue alia cuiuscunque generis, vt Quintilianus c admonet: quo item referre licet ea, quæ peculiaria

c Quint. li. 5. c. 10. sub finẽ.

causarum ab eo, & à Cicerone locis ante notatis tradita, & præcepta sunt. Exempli gratia, ex proposita thesi fiat in hunc modum hypothesis in oratione tractanda. *Sunt ne studia litterarum amplectenda Petro Turnoni?* Huius & personæ & vrbis attributa, seu circumstantiæ omnes diligentius erunt spectandæ & peruestigandæ, quæ tametsi maxima ex parte ad locum adiunctorum referantur; tamen vel ex aliis cognoscere hæc oratorem oportet cum testimoniis, & litteris, vt causa olim à litigatorib' accipiebatur, vel ex historiis, vel certè ex conuictu, & ipso sensu perspecta omnia habeamus, quod, cùm in aliis quęstionibus id genus tum in personarum laudationibus omninò est necessarium: At quæstionis infinitæ cognitio ex ingenio potius, & rerum cognitione pendet, quæ doctorum scriptis comprehensa modo præscripto parari debet.

DE COGNOSCENDA QVÆstionis natura.

CAP. II.

CVm rem penitus, quæstionemque cognorit, proximum est vt eius naturam, genusque videat: coniecturalis ne sit, an definitiua, an qualitatis. Iuuerit enim cognitio hæc ad promptiorem argumentorum inuentionem, vt post me-

lius:

lius intelligetur. Hoc est, secundum etiam Antonii præceptum de causa in 2. de a Oratore: Sed coniecturales quæstiones, quibus de rei (vt ita dicam) existentia vel facultate quæri solet, dictæ sunt à cõiecturis, quæ sunt signa quædam, quibus animus peruenit ad cognoscendam veritatem. Etenim coniecturæ, vt Quintilianus est auctor, à coniectu, id est, à directione rationis ad veritatem, nomen acceperunt. Ad hoc genus primum pertinent omnes illæ quęstiones, quibus quæritur: Sit ne aliquid? fuerit? futurumne sit? vel an fiat? an factum sit? an futurum sit vt fiat? vt, an sit ius in rerum natura? An fuerit Hercules aliquis? an mundus sit interiturus? & an hostes classes ędificent? An patrem necarit Sextus Roscius? An Turcæ nobis bellum sint illaturi? Ad hoc genus referendæ sunt quæstiones de voluntate, & animo cuiusque. Nihil enim aliud quæritur, nisi quæ sit, aut fuerit, aut futura sit mens alicuius. Vt an regnum affectet Manlius? Quo animo Pyrrhus pacem petat. Quæ fuerit voluntas scriptoris, vt legislatoris, vel testatoris? Quo animo restiterit in Africam Ligarius? Quo animo Cæsar sit laturus Pompei mortem? Ad hoc idem genus, quod tempora tria comprehendit, pertinẽt etiam quæstiones illæ, in quibus quæritur,

a Sect. 103. 104. & 128.

quid

quid esse vel fieri possit, aut non possit. vt Cicero in Partitionibus declarat. Vt, ecquisnam verè, & perfectè sapiens esse possit? An populo Roman. possit esse pax cum M. Antonio, an Cęcilius rectè possit accusare Verrem, an hostes facilè vinci queāt, an Christi cultor tētationes hostium, quibus impugnatur, possit superare? Aliæque sexcentæ eiusdem generis 2. Deinde coniecturales sunt quæstiones omnes, quibus origo & initium cuiusque rei perquiritur. Vt, vnde oriatur pestilentia, an ab ira Dei, an à causis naturalibus, vt ex aëris grauitate, an ab aquis corruptis, an à noxio terræ halitu, amicitia ab indigentiane, an à natura sit orta? 3. Præterea numerantur in coniecturalibus quæstiones illæ: quibus exquiritur causa efficiens, & ratio cuiusque rei. Vt quæ res conficiant eloquentiā, naturane, an ars, an exercitatio & imitatio? cur doctissimi homines de maximis rebus dissentiant, cur hostes flumē traiecerint? na ab aliis fugati, an sedes nouas occupaturi, an regionē intactam vastaturi? cur hostis humani generis pomum vetitum Euæ comedendum proposuerit? 4. Denique, cū quæritur possitne res aliqua mutari, aut interire, quæstionis hoc genus de mutatione totum coniecturæ est. Vt possitne interire virtus? an in vitium ver-

verti, an commutatione aliqua eloquentia in infantiam verti possit, odium in amorem? Has quatuor coniecturæ partes constituit Cicero in 3 *b* de Oratore, & in *c* Topicis quas tamen in *d* Partitionibus ad duo genera reuocauit, possitne aliquid effici, & quemadmodum quidque fiat. Atque hoc genere posteriore duas mihi partes complecti videtur, de origine, & de causa efficiente. Nam, siue simpliciter quæras, quæ quamque rem causa efficiat, siue longius, cogitatione progressus, exquiras, quæ sit prima origo cuiusque rei, hoc profecto quęris, quemadmodũ quidque fiat, & oriatur. Priore verò genere reliquas duas partes videtur comprehendisse, an sit, fuerit, futurumue sit: & de immutatione. Cùm enim quæritur, an interire, quid possit, an in aliud conuerti, sane quæritur, quid fieri possit, aut non possit. Quæstiones autem illæ, an sit aliquid, an fuerit, an futurũ sit, vix explicari solent, aut possunt, quin coniunctè tractetur illa quæstio, an potuerit, aut possit esse. Itaque qui probat non esse patrem à Sexto Roscio necatum, illud coniunctè explicat, ne interfici quidem potuisse Et qui contendebant nullus esse Antipodas, probabant esse non posse. Et qui conantur ostendere mundum nunquam interiturum, illud addunt, ne

b *Cic. 3. de Orat. 112*
c *Idẽ in Top. 82.*
d *In Part. 64.*

inter-

interire quidem posse vlla ratione. Propter hanc igitur tantam coniunctionem potuerunt illæ, quæstiones ad quæstionē de eo, quod fieri potest, ant non potest vtcunque reuocari. Hæc de coniecturæ partibus.

Definitiua quęstio à definitione traxit nomen, quod hinc omnis tota pendeat: Sed hoc nomine descriptiones etiam cōprehendi volumus, vt in ratione inueniendi, vbi agitur de loco definitionis. Quęstionis autem definitiuę genera quatuor fiunt à Cicerone, & in 3. de Oratore libr. & in Topicis: Vnum notionis, alterum proprietatis, tertium diuisionis & partitionis, quartum descriptionis. Quæstiones notionis dicuntur, in quibus quæritur quid in communi mente, quasi impressum sit: & quæ sit verbo subiecta notio, quem conceptum vulgò dicunt, neque aliud quicquam est, nisi quod celeriter animo occurrit audito verbo, & vocabulo cuiusque rei, Vt, sitne ius, quod maximè parti vtile est? an quod ei, qui plus potest? Hoc enim quæritur, quæ sit iuris notio in mētibus hominum impressa, & quid intelligant, qui audiunt nomē iuris. Ex eodem genere illa sint. An sit Deus mens quædam soluta, & libera, segregata ab omni cōcretione mortali? an vita beata sit secretis omnibus malis, cumula-

mulata bonorum complexio? Proprietatis quæstiones appellantur, cùm quid cuiusque proprium sit exquiritur. Vt, an benè dicere proprium sit oratoris? an in solos homines cadat ægritudo? Diuisionis & partitionis quæstiones vocantur, cum res distribuitur in genera, aut in partes, & quasi membra. In genera: vt, an tria sint genera bonorum, externa corporis, & animi? In partes, vt, an sint quinquè partes eloquentiæ, inuentio, dispositio, elocutio, memoria, pronunciatio? Descriptionis quæstiones dicuntur, cùm quæritur, quæ sit forma, & quasi naturalis nota cuiusque, & totius generis quasi species quædam, imagoque describitur: vt quæ sit species auari, quæ seditiosi, quę gloriosi, quæ timidi, quæ audacis, quæ assentatoris, & alia generis eiusdem, in quibus natura, & vita describitur. Aristoteles in *e* Topicis, & Cicero in *f* Partitionibus, quæstionem de eodem & alio, in qua disputatur aliud, an idem sit, subiiciunt quæstioni definitionis, & rectè quidem. Quia si quæratur, idem ne sit, an diuersum d[e]finitionibus iudicandum est, vt ipse Marc. [T]ullius *g* in Topic. scriptũ reliquit: Tametsi aliam causam *h* Aristot. explicat. Nam cùm illæ quæstiones definitionis appellet, non quæ definitionibus explicantur, sed in quibus quęritur,

e *Arist. in Top. li. 7. cap 1.*
f *Cic. in Partit. 65.*
g *in Top. 87.*
h *Arist. in eodem lib. & ca.*

an hæc

an hæc ſit illius definitio, & ad has quæſtiones refellendas firmiſſima ſit quæſtio de eodem, & alio (nam cuius non eadem eſt definitio, idem eſſe non poteſt) ideo quæſtionem de eodem, & altero definitioni dixit eſſe ſubiectam. Sed de eodem, & alio quæſtiones huiuſmodi ſunt: ſit ne idem metuere & vereri? an idem ſit rex & Tyrannus, an aliud ſit perſeuerantia, aliud pertinacia. Inter quæſtiones autem deſcriptionis, & quæſtiones notionis illud intereſt, quod in quæſtionibus notionis, quæ ſit vis & natura ſiue eſſentia cuiuſque rei quæritur: in quæſtionibus autem deſcriptionis, qualis ſit cuiuſque rei forma, ſpecieſque perquiritur: alio tamen modo, quam in quæſtionibus qualitatis, de quibus mox dicetur. Nam in his ſigillatim quæruntur cuiuſque rei qualitates, in deſcriptione autem colliguntur vniuerſæ, vt propriis quaſi notis, atque ſignis cuiuſque rei forma, & ſpecies quaſi depingatur. Quod cùm genus quoddam ſit definiendi, non quidem exquiſitum, atque ſubtile, ſed ſæpè tamen etiam philoſophis neceſſarium, rectè deſcriptionis quæſtiones in quæſtionibus definitionis numerantur.

Reſtant quæſtiones qualitatis, in quibus quæritur quale quidque ſit: vt an appetenda virtus, an vitium fugiendum?

ſed qualitas hic latius patet, quam in tertia categoria Ariſtotelis. Nam omnia omninò accidentia complectitur. Ita quæſtiones qualitatis, & quæſtiones accidentis pro eodem dicere poſſumus, Earum ſpecies duæ à Cicerone fiunt. Omnes enim conſecutionis, id eſt, qualitatis quæſtiones, aut ſunt ſimplices, aut comparatę. Simplices dicuntur, in quibus ſine vlla comparatione quæritur qualis vnaquæque res ſit, vt an ſit vtilis virtus, an rotunda terra, an globoſum cælum, an vtiles populi honores, æquumne ſit perſequi iniurias, liceatne vim vi repellere. Honeſtumne ſit gloriæ cauſa mortem oppetere, An ſit vtilis pax cum Antonio, an honeſta, an æquum fuerit occidi Tiberium Gracchum à Scipione Naſica. Comparatæ verò quæſtiones appellantur, in quibus duæ res, aut plureis inter ſe comparantur. Vt eloquentiane ſit vtilior, an iuris ciuilis ſcientia, an ſol maior terra? vtrum ſit vtilius, omnes copias in Italia retineri, an copiarum partem in Africam à Scipione tranſmitti, vtrum ſit æquius à Cicerone, an à Cæcilio accuſari Verrem? vtrum honeſtius reſpondere de iure, an pro reipublicæ dignitate pugnare? Quid maximè ſit vtile, hoſti ſe dedere, an oppidum defendere, an omnia

ſuis

ſuis manibus delere? Quid ſit maximè honeſtum, reſpondere de iure, an in foro cauſas agere, an pro repub. bellum gerere? Quid ſit maximè æquum, ab cóne accuſari reum, quem ipſe velit: an ab eo, quem velint, quibus iniuriæ factæ dicãtur: an ab eo, quẽ neq; velit reus, neq; ii, qui reũ in iudiciũ vocent? eadem ratio eſt in omnibus aliis quæſtionibus comparatis, quæ conſecutione continentur. Vt an Luna ſit maior ſole? an Sol maior terra? an eloquentia dignitate præſtet iuris ciuilis ſcientiæ? Vtra optabilior vita, actuoſane, an ea, quæ tota in contemplatione conſiſtit? Quæ præſtantiſſima ſit earum virtutum, quæ Theologicæ nominantur, Fideſne, an Spes, an verò Charitas? & alię quæſtiones infinitæ generis eiuſdem. Nec enim tantum quæſtiones de iure, & iniuria, vt antiquis cauſarum actoribus, ſed omnes omnino quæ oratione explicari poſſint, & debeant, perfecto tractandæ ſunt oratori. Quapropter omnes omnium ſuperiorum generum ſpecies in orationem cadere aliquãdo poſſunt. Verùm Ariſtotelis decreta M. Tullii ſententiæ repugnare videntur. Nam is initio libri 2. de Demonſtratione quatuor affirmat eſſe, quæ quærantur; duo ſimplicia, totidemque coniuncta: ſimplicia, an ſit, & quid ſit: coniuncta, an ita ſit, & cur ita ſit.

Et quoniam, An ſit, coniectura. Quid ſit, definitione continetur, neceſſe eſt reliquas duas quæſtiones coniunctas, aut ad ſolam qualitatem, aut partim ad qualitatem, partim ad alias quæſtionum ſpecies reuocari: vel fatendum plura tribus eſſe quæſtionum genera. Illa ergo quęſtio copulata, in qua cur ita ſit ambigitur; tota coniecturę eſt, pertinet enim ad eam partem, in qua rei cauſa perquiritur: vt cur Sol aliquando deficiat? an oppoſitione Lunæ cum lucis amiſſione? Illa verò quæſtio, an ita ſit, partim coniectura continetur; vt, an Luna deficiat? an cælum conuertatur? partim qualitate, vt, an virtus ſit laudabilis? an vitium fugiendum? Quæſtiones etiam cognitionis, & actionis tribus iiſdem generibus comprehenduntur. De quæſtionibus quidem cognitionis, quarum finis eſt cognitio, dubitari non poteſt, cum *i* Cicero id apertè tradat. Quæſtiones autem actionis omnes quæ referuntur ad agendum, aliquando in coniecturam, aliquando in id genus cadere videntur, in quo quale quidque ſit quæri ſolet. Vt, an depoſitum furioſo reddendum? an ſit expetenda virtus? Ex quo perſpicitur non eſſe plures quæſtionis gradus, qui licet in controuerſiis ciuilibus, & criminum cauſis maximè appareant: tamen iiſdem tribus

i Cic. 3 de Orat li 2 & in parti. 62.

gradibus omnes quæstiones continentur, & infinitæ, & finitæ, siue sint exornationis, siue deliberationis, siue iudiciorum, vt M. *k* Antonius & *l* Quintilianus disertissimis verbis confirmant. Iam verò ex his, quæ dicta sunt, qui propositam à nobis in exemplum quæstionē (An literarum studia sunt amplectenda) indicare volet, facilè perspiciet, quonam ea genere contineatur attributi distinctione adhibita. Si enim id ad futurum *m* tempus referas, vt sit Participium, coniecturæ quęstio in deliberationem cadens, erit, cùm de re facienda, futurave quæratur. Sin idem sumatur vt nomen, quasi dicas digna quæ amplectamur aut amemus, seu amabilia, quæstio, ad exornationem referenda, qualitatis.

k Apud Cic. in 2. de Orat. 104.

l Quin. l. 3. cap. 6.

m Vide Cic. in Top. 93.

DE ARGVMENTIS ET AMplificationibus quærendis ad quæstionem tractandam.

CAP. III.

CVm igitur accepto quæstionis genere & cognito rem tractare cæperit, nihil prius constituat, quā quibus eam rationibus probari, explicarive oporteat. Deinde illa duo diligentissime consideret, præsertim Ecclesiasticus Orator: quorum alterum pertinet ad eos, qui audiunt honestis rationibus, ac sententiis, nō scu-

rilibus dictis, sibi conciliandos: alterum est accommodatum ad eorundem animos in quemcunque salutarem quæstio postulabit motum sententiis ad hoc ipsum idoneis, commouẽdos. Verùm de conciliandi, permouendique ratione infra suo loco commodius præcipietur: nunc de probandi ratione disserendum est. Vbi ergo naturam quæstionis Orator viderit, quæ nunquam lateat, sit ne res quæratur, an qualis sit, an quod nomen habeat: quærere rationes, & argumenta debet ad eam explicandam. Quorum inuentio longè facilior iis futura est, qui nouerint rationum, & argumentorum locos, eosque legendis auctoribus bonis, & probatis omni rerum copia referserint, ne petentibus fortè nihil suppeditent, si vacui relinquantur. Horum verò & naturam explicare, & vnum ostendere, &, vt vno verbo dicam, vniuersam inueniendi artem singulis locis enucleandis tradere, non est huius loci nec temporis. Diem enim lõgiorem, & spatium temporis liberioris ad id efficiendum sumi oportet. Interim tamẽ, ne quis omninò se hic fuisse destitutum iure queri possit, neve à facilitate nobis proposita discedamus: agedum, quã facilimam rationes inueniendi viam, quam breuissime fieri poterit, ostẽdamus.

Cognita igitur quæstione, & vi singularum eius partium perspecta, nec ipsius genere ignorato, naturaue incognita, videat diligenter qui orationem ea quæstione tractanda cōpositurus est, quæ sint causæ vel effecta, quod totum vel pars, quod genus vel species, quod subiectum, quæ adiuncta, quę contraria vel repugnātia, quæ maiora, vel minora, vel paria, quæ similia, vel dissimilia, quæ notatio, vel coniugata, quæ partes (quo nomine formas etiam, siue species cōplectimur) quæ definitio sit subiectæ partis, vel attributæ quæstionis. Eandem inueniendi ad explicandam quæstionem argumenti, seu medii rationem, sed paulo aliter, & subtilius, & obscurius tradit *a* Aristoteles cum de paranda pronunciatorum copia disputat. Et cum earum quæstionis partium alterutra ex pluribus vocibus cōstare queat, de singulis quæ hanc discussionem ferre possint eadem quærantur; vt, cùm vel vnumquodque eorum, quæ iam sunt exposita ratio ipsius rei propositæ esse valeat, cùm percurrerit omnia, expēdat & seligat vnum argumētum, vel plura ad ipsam quæstionem explicandam, & probandam maximè idonea. Præterea quid vel Deus aliquando per se, aut angelos, aut Prophetas, cæterosque homines diuino Spiritu afflatos: quidue docto-

a Arist. l. 1. priorū. Anal. c. 26 & aliquot sequent.

res

res Eccleſiæ, & patres, aut alii homines auctoritate aliqua præditi de re propoſita pronuntiarint. Huiuſmodi enim teſtimonia, quæ argumenta remota dicũtur, ſunt etiam rationes, quibus illa comprobetur. Quod ſi diuina teſtimonia ſint, & eo ſpiritu quo dicta ſunt intelligantur, omnium ſunt argumentorum firmiſſima atque certiſſima. Deus enim mentiri nõ poteſt. Quocirca hæc omnia teſtimoniorum genera erunt hinc inde conquirenda Oratori, vt illis in orationis curſu ſuis locis vtatur. Sed diuinis, & doctorum Eccleſiæ, ac Patrum teſtimoniis, in ſacris orationibus, quas conciones vocant, Eccleſiaſtici Oratores creberrimis vtentur: adhibita cuique vel tot, quot opus erit ex doctorum conſenſu, vel ex Eccleſiæ ſenſu, quæ in hoc genere officii errare non poteſt, cùm ſit columna, & firmamentum veritatis, vel breuiori, vel copioſiori, vt res feret interpretatione. Hac ergo via inueſtigandæ rationes erunt; & in quendã quaſi cumulum congerendæ, ſi minus ex omni genere locorum, ſaltem ex aliquot locis depromptæ, vt ex omnibus firmiſſimæ, nec non vberrimæ ſeligantur, quales eſſe ſolent inter cæteras, quæ depromuntur ex loco partium enumerationis. Et quoniam illuſtriora fiunt exemplis omnia, propoſitum thema, quod

quidem ſterile alioqui videtur, quantam argumentorum copiā ferat, admota falce diligentis, & accuratæ diſcuſſionis oſtendere tentemus: vt in aliis rebus idem facere hinc tyrones doceantur. Tria ſunt autē verba diſcutienda, duo in parte ſubiecta, *Studia litterarum*; tertium in attributa, quod eſt, *Amplectenda*. Quamobrem ex ſingulis, quemadmodum rationes & argumenta eruantur, orſi à primo, videamus, ordinemque argumentorum paulo ante à nobis enumeratorum ſequamur.

Studiorum, id eſt, exercitationum litterariarum.

FINIS, Cognitio firma diſciplinarum, ſiue artium ad ſalutem vtilitatemque & ſuam & reipublicæ directa, quæ cùm ſit cuique ſtudioſo amplectenda, etiam diſciplinarum ſeu litterarum exercitatio amplectenda erit.

MATERIA præcepta litteris & doctrinis comprehenſa, Quæque ſunt ſubiecta ipſis artibus in quibus ipſę verſantur, quę certè ſunt amplectenda. Ergo & ſtudia & exercitationes quæ huiuſmodi rerum ſunt, erunt amplectenda. Hic latus ſeſe aperit campus ad confirmandā in oratione componenda hanc propoſitionem, ex enumeratione partium .i. ex materia cu-

iuſ-

iusque artis liberalis, & quæcunque in proppsito themate, poteſt intelligi. FORMA, nulla hic alia quærenda, niſi fortè modus exercitationis literariæ, quo hæc ab aliis exercitationibus diſtinguatur.

Efficiens, Princeps, cupiditas diſcendi, naturalis, & innatus nobis amor ſcientię: quem cum Deus ingenerauerit mentibus noſtris, amplecti debemus: proinde & exercitationes litterarias, quibus ſcientiam adipiſcimur. Aliæ ſunt efficientes cauſæ adiuuantes minores, cuiuſmodi ſunt (vt inſtrumenta prætercam) doctores artium, qui auditores exercent, exercitationum ſocii, mutuæ cohortationes eorundem ad ſubeundas alacriter huiuſmodi exercitationes: quinetiam audaciam quædam & quaſi os munia ſcholaſtica, quæ pudorem afferre pleriſque ſolent, præſtandi? quæ omnia, &c. quæ omnia patet eſſe amplectenda, magnique facienda, Ad hæc ſunt cauſæ procreantes & conſeruantes ſtudiorum, nempè Collegiorum & Academiarum inſtitutores atque authores, ſiue vt vocant, fundatores, in quibus artes exerceantur: leges item & regulæ præſcribentes locum, tempus, horam, modum, &c. Litteras frequenter exercendi; quas res cùm nemo ſanus amplectendas neget. Et ipſa literarum ſtudia amplecti oportere concedat, neceſſe eſt.

His omnibus accedunt causæ efficientes aliæ, quæ interimentes, aut corrumpentes vocantur: quibus nimirum litteraria exercitatio perit. quale est otium, inanis metus, & pudor immodicus exercendi artes atque discendi: quæ quidem cum fugienda sint, certè exercitationes amplectamur Hoc genere causarum, causæ impedientes possunt contineri. Sunt autem impedimenta multa studiorum alia.

Effectus varii: vt, promptam paratãque disciplinarum facultatem, atque habitũ gignere. errores ex animo euellere, dubitationibus liberare, in veritate cõfirmare, animum excolere, vt tãquam ager subactus diligenter vberes fructus ferat: huc pertinent vtilitates fructusque omnes assiduarum exercitationum literariarum, qualia sunt bona facere meliora; nõ optima aliquo modo acuere & corrigere, &c.

Genus est exercitatio animi. Sunt enim & aliæ animorum exercitationes, in quibus & prauę sunt pleræque: nonnullæ item quam literarum nobiliores & meliores magisque salutares, qualis est oratio diuina, sola mentis actione, sæpè tamen etiam voce constans. Deinde exercitationis animi genus ex exercitatio, cuius duo prima sunt genera, vnũ animi

alte-

alterum corporis. Cæterum hoc genus infirmum est ad quæstionem concludendam. Nec enim omnis exercitatio animi, vel studium amplectendum est, nec si aliquod amplecti conuenit, ideo recta argumentandi forma concluseris, studium literarium amplectendum esse. Nisi genus ponas, exercitationem animi laudabilem. Tũ enim à genere vniuerso sumpto rectè concluseris.

Forma vel species, lectio optimi cuiusque authoris: quæ cùm sit studiosis litterarum amplectenda, etiam literaria exercitatio, vel studium literarum amplectẽdum erit. Cùm sint autem multæ species, quas infra in loco enumerationis recensebimus, vel hanc vel illam pro arbitrio sumere cuique licebit, siquidem vna tantum, vt argumentum ex loco formæ ductum dicatur. sumenda est.

Subiectum vel subiecta res, Collegium, seu Academia, & locus omnis huic gegeneri exercitationis destinatus, sunt autem hæc amplectenda: igitur & litterarũ exercitationes, quę illorum adiuncta sũt, amplecti decet.

Adiuncta diligentia in ediscendis artibus. labor omnis exercitationis & studii, feruor eorum qui seipsos exercent, animi honesta oblectatio, quam inde spectatores seu auditores capiunt, quan-

quam hæc poteſt in effectis numerari. publica & honorifica magiſtri commendatio ad honeſtam æmulationē, præmia item propoſita & proponenda victoribus in quouis genere exercitationis: præmia eſſe poſſunt præter illam copioſiorem ex ore magiſtri laudationem, ſeſſio inſignior, libelli auro picti, & alia multa generis eiuſdem, quæ omnia cùm fateantur adoleſcentes amplectenda; cur ipſa ſtudia negabunt amplectenda?

Contraria, prætermiſſio ſeu priuatio exercitationis non eſt amplectenda: ergo, &c. Item, vt negantia ſiue contradicentia priuantibus adiungamus, non exercitatio vel non ſtudium, aut (vt Latinius loquar) non ſtudere litteris, & non exercitare artes, non amplectendum eſt. Igitur ipſa exercitatio amplectenda erit. Aduerſa non inuenio, nec relata, niſi pro his res, quæ ſtudiis agitari ſolent ſumantur.

Repugnantia, negligentia, frequentatio nimia ludorum, odium literarum, fuga laboris & honeſti, & vtilis, & iucundi, aliaq́ue id genus, quæ fugienda eſſe conſtat? quod cùm ita ſit, ſtudia exercitationesq́ue artium erunt amplectendæ.

Minora (nām ex maiori nihil hic efficitur) ſi exercitationes corporis moderatę,

qui-

quibus & valetudo conferuatur, & eius robur augetur, sunt amplectendæ: quantó magis ea quæ mentem excolunt eique sanitatem afferunt, &c. Item aliud. Exercitationes artiũ illiberalium quæ in faciendo versantur: hæ autem sunt amplectẽdæ: ergo multò magis literarum studia amplectenda erunt.

Par, exemplum à pari, vt, viri clarissimi qui priscis temporibus floruerunt, & seipsos, & alios in litterarum studiis diligenter exercuerunt. quod vel immortalia eorum monumenta posteris relicta testantur: ergo & nos huiusmodi studia amplecti debemus.

Simile, vt diligens agrorum subactio: sic literarum exercitatio amplectẽda est.

Dissimile, cæterum studia, neque temporum sunt, neque ætatum omnium, neque locorum: Hæc studia seu literarum exercitationes adolescentiam alunt, senectutem oblectant, secundas res ornant, aduersis perfugium ac solatium præbent, delectant domi, non impediunt foris, pernoctant nobiscum, peregrinantur, rusticantur.

NOTATIO, festinata & diligens tractatio, vel seria & diligens operæ collocatio in re aliqua, quæ est notatio studii: nã studium à nomine Græco σπȣδὴ significante inter alia studium & diligentiam,

propriè tamen σπουδὴ est festinatio, acceleratio, ἀπὸ τοῦ σπεύδειν, id est, à festinādo. Latini ergo detracta τῷ, π, altera tibia, vt græcum nomen suum facerent, pro σπουδὴ, στουδὴ, & vt latinum planè videretur, studium dicere voluerunt. Hanc Etymologiam confirmant variæ σπουδῆς significationes, quibus Latini vocabuli potestates respondent. Iam verò sic argumētari licet, festinata & diligens litterarum tractatio, vel seria & diligens operæ collocatio in literis amplectenda est: ergo, &cæt. Quod si exercitationis notationem adiungere libeat, hæc esse poterit. Frequentatio artes exercendi, vel actio frequētata artium: quæ est amplectenda.

Α σπεύδω factū est per metathesim. σπεύδω ut à φεύγω φυγέω unde fugio. Atq; hinc etiā constat cur prima vtriusq; verbi syllaba corripiatur apud Latinos.

Coniugata, studere literis, amplectendum est. ergo, &c. Item exercitare, seu exercere literas & artes, amplectendum. Igitur, &c.

Enumeratio partium, vt formarum, quæ diuisio dicitur, vel partes, id est, species enumeratæ, quæ sunt, compositio, id est, noui operis confectio, & Analysis, hoc est iam confecti explicatio & quasi enucleatio, opus compositum retexens: lectio item optimorum authorum, imitatio, examinatio, siue discussio eorundem, & commendatio, vituperatio, comprobatio item eorum quæ dicuntur ab illis, & cōtra

interdum reprehensio, commētatio præterea & scriptio, declamatio, disputatio, auditio, & si quæ sunt aliæ. hæ autem sunt amplectendæ, ergo, &c.

Definitio, applicatio animi vehemens & frequens ad literas exercendas: quam certè amplectendam esse constat. Quamobrem studia literarum erunt amplectēda. Vel numero multitudinis, applicationes, &c. Quoniam studia, non studium, in quæstione dicitur.

Testimonium, Cic. Trebatio nulla ars literis sine interprete & aliqua exercitatione percipi potest, vel potius vt idem b Attico, Incumbamus, ô Tite noster, ad studia. b *Cic l. 2. epist. 16.*

Literarum, id est artium, ac disciplinarum.

FINIS perfectio & absolutio functionis hominis, quæ operationes humanę dicuntur: qui sanè finis amplectendus est. MATERIA circa quam (quæ & obiectū dicitur) pro cuiusq; artis varietate: vt obiectum Theologiæ, Deus: Metaphysicæ, Ens: Physicæ, res naturales siue corpus mobile. Ethicæ, Virtus: Logicæ, argumētatio: Rhetoricæ, oratio ornata, vel res omnes: Musicæ, boni, &c. Atqui harum rerum studia exercitationesque amplectēdæ sunt, ergo, &c. FORMA: Modus proprius siue proprietas esse poterit, res vide-

licet de quibus præcipitur, qua tales vel tales sunt: vt, Deus vt Deus: corpus mobile; vt mobile, vel vt naturale: ornatus orationis, aut res omnes vt ornatè explicantur, &c. EFFICIENS absolutè Deus, qui ſcientias poteſt animis hominū abſq; induſtria eorum inſtillare & infundere: quanquam vt plurimum eſt adiuuans, ſine qua & reliquæ nihil: ſed inter humanas adiuuans princeps eſt natura, id eſt cupiditas naturalis cognoſcendi, homines enim natura ſcire deſiderant; minores adiuuantes ſunt exercitationes, quibus comparantur habitus artium, de quibus paulo ante: authores primi, ſeu inuētores ipſarū, præterea ſcriptores omnes, & perfectores, atque illuſtratores egregii, qui hoc mdo ſunt optime de humano genere meriti: libri quoq; optimi quibus literæ & artes continētur, & præcepta ipſa literarū monumētis prodita, aut etiā viua voce tradita: quæ sūt ꝑfecto amplectēda.

EFFECTVS varii. Nam literæ ac ſciētiæ animum excolunt, ornant & illuſtrāt, rempubl. tuentur, ciuibus atque adeò generi mortalium vniuerſo proſunt: rudes ad virtutem inſtituunt: improbos & facinoroſos ex communitate & ſocietate expellunt: errantes in rectam viam reducunt, &c.

GENVS habitus animi, ſed hinc infirma-

argumentatio eſt. Quanquam ſi ſumatur, Bonum, valebit, genere, vt ſupra, vniuerſè ſumpto.

SPECIES ſeu forma: Rhetorica, verbi cauſa, quę cum ſit expetenda, etiam ars aliqua ſaltē amplectenda erit. Nec. n. aliter ex forma rei ſubiectæ concludere licet.

SVBIECTVM, animus: eſt enim ſubiecta rerum artium in qua ſunt.

ADIVNCTA, honeſtas, vtilitas, iucūditas: quæ demonſtrari debent ex effectis: dignitas item & præſtantia & antiquitas, ad hæc incitamēta natiua quæ inſunt artibus, quibus ad eas amplectendas allicimur. Denique honores tum noui, tum inuſitati, vel publicè, vel priuatim habiti, & delati eruditis ac doctis viris.

CONTRARIA, aduerſa, inertia vel inſcitia: priuantia, priuatio literarum ſeu artium, vel ignorantia: relata quod ſub ſciētiam cadit, quod vocāt ſcibile, eſt amplectendum, ergo & ſcientia vel ars.

REPVGNANTIA.

MINVS, diuitiæ, margaritæ, aurū, argētū, &c. Quæ ſi tantopere amantur ab hominibus: Quanto magis literæ & ſciētiæ?

PAR, tot acutiſſimi homines auidiſſime ſcientias amplexi ſunt.

SIMILE, vt lux oculis eſt expetenda: ſic literæ & ſcientiæ menti.

DISSIMILE. Non vt diuitiæ quæ fluxæ & cadu-

caducæ ſunt, ſic bonæ artes quarum æterna eſt poſſeſſio, ſunt negligendæ.

NOTATIO literæ à linendo dictæ videntur, linere autem, eſt rem mollem alteri ſuperinducere, vt vnguentum vulneri vel corpori, calcem aqua temperatam parieti, atramentum chartæ alteriue rei, tabulæ picturam vel colorem, &c. A lino itaque litera, quod ſcribendo, atramentũ leuiter chartæ illinitur, dicta eſt, tametſi non deſunt, qui literam quaſi legiteram dictam volunt, quod legenti iter præbeat. priorem Etymologiam ſi ſequamur, literæ notatio, quæ vim vocabuli exprimat erit hæc, quod ſcribendo chartæ illinitur, linimentum vno verbo aliter exprimere licet. Sin poſteriorem, hæc, quod legenti vel etiam legendi præbet iter; aut quod legendo iteratur. Verum huiuſmodi notationes propriè literarum ſignificationi commodatæ ſunt. Hic autem literas pro artibus ac diſciplinis accipiendas eſſe diximus: quamquam nonnihil etiam ad rẽ faciunt. Quod attinet ad notationem artis, varia eſt & multiplex, pro varia origine huius vocabuli. Veteres enim, vt D. Auguſt. refert in lib. de ciuitate Dei, cap. 21. Artem ἀπὸ τῆς ἀρετῆς, id eſt, à virtute, Latinos traxiſſe putauerunt. Id quod Donatus in Andriam Terentii ſcripſit, idque per Syncopen fieri confirmat. Hinc artis

nota-

notatio erit hæc; res optabilis; ἀρετὴ namque tanquam ἐρατὴ, id eſt, amabilis, ſeu optabilis dicta eſt authore Euſtathio in primum Homeri Iliad. pag. 46. verſiculo, id eſt, in his enim quædam eſt, inquit, vt in literis, ſic in ſenſu, rebusque ſignificatis affinitas. Mihi vero, vt ab ἀρπάξω futuro verbi ἁρπάζω, ἅρπαξ. & à lego lex, à rego rex, imo lex à futuro λέξω manauit, quod eſt à λέγω ſignificante eligo, quod confirmat Cic. qui legem à legendo, id eſt, ab eligendo dictam tradit: ſic à futuro Æolico ἄρσω, pro communi ἀρῶ, hoc nomen ars ductum videtur, ἀπὸ τοῦ ἄρσαι τοὺς ἀνθρώπους. id eſt, à tollendis & euehendis hominibus: quod videlicet artes, eos in quibus inſunt tantum tollant & euehant ſupra cæteros carentes artibus, quantum hi belluis præſtant: vel certè, quod homines ad magnos altosq; dignitatis gradus euehant. Aut ἀπὸ τοῦ ἄρσαι τὰς ἐνεργείας καὶ τὰς πράξεις καὶ ἀνθρώπων, id eſt, ab aptando & componendo functiones hominum & actiones, nam per artes actiones noſtræ aptantur, diriguntur, & abſoluuntur, vt in fine dictum eſt. Ratio huius veritatis eſt, quod futurum AEolicum ἄρσω vel ab ἄιρω, id eſt, tollo, eucho; vel ab ἄρω, id eſt, apto, adapto deriuari poteſt. Quamobrem notatio erit ex hac origine duplici ſaltem duplex, quæ perfacilè colligi, & ad

rem propoſitam accommodari poſſit. Nā ſi harum rerum ſtudia & exercitationes amplectendæ ſunt: etiam ſtudia literarum & artium.

CONIVGATA, literati & artifices, qui cum ſint in pretio habendi, artium ſtudia amplectenda qui neget?

PARTES enumeratæ per diuiſionem, ſi nomine bonarum artium liberales intelligamus, erunt hæ; Grammatica, Rhetorica, Dialectica, Muſica, Arithmetica, Geometria, & Aſtronomia, quæ & bonæ literæ & diſciplinæ, liberales, & ingenuæ artes nominãtur. Vnde latiſſimus patet Oratori campus, vel ad quæſtionem ipſam copioſius explicandam, ita vt ad id hæc vna ratio ſufficiat: vel certè ad aliquam ex ſupra poſitis rationibus cumulatiſſimè confirmãdam: ſin aliter bonas artes enumeremus, ita vt à Grammatica orſi ad ſacroſanctã vſq; Theologiã progrediamur, quã vaſtũ pelagus, Deus bone nauigãdũ?

DEFINITIO, ſiue definiatur ars congruenter Stoicorũ ſententiæ σύϛημα ἐγκαταλήψιων, &c. Id eſt, ordo conſentiens perceptionum, quæ exercentur ad aliquẽ finem vtilem vitæ: ſiue vt à doctis quibuſdam viris definitur; Diſpoſitio à generalioribus præceptis, ad ſpecialiora deſcẽdens, per quam vnaquæque res facilius percipi docerique poſſit, rei propoſitæ vtralibet erit accommodata. Rei

Rei amplectendæ.

FINIS, adeptio rei amatæ, vt hic literarum vel artium.

MATERIA, bonum, quod est materia & obiectum amoris. Iam si studia literarum sunt bona, & amplectenda, id est, vehementer amanda.

EFFICIENS: cognitio rei amatæ & boni, & spes boni consequendi. Vnde studia literarum sunt cognoscenda: ergo, &c.

EFFECTVS: desiderium, facilis & alacris tolerantia laborum ad rem obtinẽdam. Hæc enim parit amor vehemens. Si ergò desideranda sunt literarum studia & amplectenda, &c.

GENVS, appetere: vide, vt supra, argumentatio infirma est.

ADIVNCTVM: magni facienda, siue magno in pretio habenda: ergo, &c.

CONTRARIA: aduersa, magno odio prosequenda: negantia, non amplectenda: vnde sic argumentandum: studia literarum nõ sunt magno od. &c. ergo ampl. Et non sunt non amplectenda. Ergo amplectenda.

REPVGNANTIA: contemnenda seu aspernanda, vitanda seu fugienda; vituperãda; pro nihilo habenda, &c. Iam hæc, vt proxima in argumentando accommodanda sunt.

SIMILE: vt ea bracchiis amplectimur, quæ nobis profutura ſperamus non perſonas modo, ſed res etiam inanimas: ſic literarum ſtudia, quæ tantam vtilitatem habent, amplecti debemus. In ſumma. ſimile eſt res quæcunque ſalutaris.

DISSIMILE amplexus rerum inutilium, parumque honeſtarum. Vnde ſic. Non vt parum vel vtilia, vel honeſta amplectenda non ſunt: ſic ſtudia literarum quæ vtilia ſunt, & honeſta amplectenda non ſunt.

NOTATIO: actione mentis, oris & manuum quaſi circumplectenda, ſeu nectenda & obuoluenda, amplecti namque ex am, id eſt, circum, & plecti, nectere, iūctum verbum eſt, & proprie de rebus corporis dicitur, & ad animum transfertur eleganter, id eſt, ad actiones vel mentis, vel voluntatis, vel memoriæ, vel omniū ſimul. Plecti verò in hoc ſenſu nectendi, ductum eſt ex Græco πλέκω, quod eſt necto, ex cuius tertia perſona præteriti paſſ. πέπλεκται, fit πλεκτὸς. Vnde plecto, vel certè vt à τύπω τύπτω, à τέκω τέκτω, à μένω μέμνω, à κλέπω κλέπτω, ſic à πλέκω plecto pleonaſmo τοῦ τ. Aliunde eſt plecto pro ferio, venit enim à πλήττω ferio, percutio, ex quo itē verbale πληκτός. Hinc plectere capite dicunt Latini.

PARTES enumeratæ: virtutes & literæ,

vel

vel ſcientiæ, quæ ſunt partes rerum vehementer expetendarum.

DEFINITIO. Vehemẽter amanda. Amplecti.n.eſt vehementer amare, aut vehemẽti quodã amore ſeu ardore quodã appetere, idque per metaphoram, vt ex notatione liquet, eſtque ſignum pro re ſignata, cum amplexus ipſe in perſonis plerumque ſignum vehementis amoris eſſe ſoleat.

Satis, opinor, exemplorum ſuppeditauimus, ex quibus omnes intelligant, qua ratione argumenta inueſtiganda ſint ad quæſtiones explicandas. Verum illud hoc loco admonendum eſt, cum nulla diſputatio ſit, in quam non aliquis locus incurrat: & omnes ferè loci aliquando in vnam incidant quæſtionem, vt in propoſita cerni poteſt: quibuſdam tamen quæſtionibus alios, quibuſdam aliös eſſe aptiores locos. Et quoniam quæſtionũ genera paulò ante deſcripſimus, qui loci ad quaſque queſtiones magis accommodati ſint, ex Ariſt. & Ciceron. ſententia in Topicis, deinceps eſt videndum, vt cognito genere quæſtionis, quiſque ſciat, ad quæ argumenta, quoſve locos potiſſimum cõfugere debeat. Ad coniecturam igitur, vt Cicero *c* in Topicis confirmat, maximè apta ſunt argumenta, quæ ex cauſis, quæ ex effectis, quæ ex coniunctis, id eſt, ad- *c Cic. in Top. 87.*

iun

iunctis(quibus, quæ vocant communiter accidentia, continentur) sumi possunt. His adde quæ sumuntur ex testimoniorum loco, vt idem apertè indicat in posteriori lib. d de inuentione. Ad definitionem autem pertinet ratio, & scientia definiendi, id est, præcepta, & leges, quæ de recte definiendo à Dialecticis e tradũtur. Loci porro, ex quibus argumẽta promantur, ad quæstionem definitionis vel confirmandam, vel refellendam, illi sunt, quos in præceptis tractandæ forensis definitionis M. Tullius recenset in f Partitionibus. Qui sunt, quantum ex eius exẽplis & verbis colligere possumus. loci maiorum, adiunctorum, testimoniorum, contrariorum, notationis, & similium. Exempla verò, quæ adiecit ibidem, omnia ex effectorum loco sumuntur, vt exẽpli definitio declarat, quæ est apud Fab. lib, 5. cap. 11. Quamuis enim exempla similitudine sæpe aut dissimilitudine, aut cõtrario, aut comparatione maiorum; vel minorum tractentur, ideoque ad eos locos sæpe pertineant. tamen interdum nullam contentionem habent, sed simpliciter ponuntur ad faciendam fidem, vel ad augendum, & sunt propria loci effectorum. Quæstioni definitionis subiectum est illud genus, quod de eodem, & alio appellatur, vt supra diximus, proinde

d Sect. 46.

e Vt ab Arist. l. 7. Top.

f Cic. in parti. 124. cum sequent.

inde loci qui conueniant in eius generis quæstionem hi à Cicer. in Topicis explicantur, consequentes, antecedentes, repugnantes, adiunctis etiam duobus iis propemodum, qui sumuntur ex causis, & effectis. Nam si hanc rem illa sequitur, hãc autem non sequitur, aut si huic rei illa antecedit, huic non antecedit, aut si huic rei repugnat, illi non repugnat: aut si huius rei hæc, illius alia causa est: aut si ex alio hoc, ex alio illud effectum est, ex quouis horum id, de quo quæritur idemne sit, an aliud inueniri potest. Denique vt paucis multa complectar, omnes loci definitionis, siue capita loco vno definitionis comprehensa, quæ proponuntur ab Aristotele. in 7. Topicorum libro, ad cõfirmandam definitionẽ & in 6. lib. ad refellendam, huc pertinent: atque adeo loci generis omnes in libr. 4. Topicorum toto ab eodem expositi, quibus probetur genus alicui rei conuenire, aut non conuenire, cum definitio ex genere, cum aliis ipsum contrahentibus constet. Et quoniam quæstiones proprietatis hoc genere contineri supra demonstrauimus, loci omnes proprii ab eodem g Aristotele traditi, quibus probetur proprium alicui rei conuenire, aut non conuenire, huc etiam erunt referendi. Ad tertium genus quæstionis, in quo quale

g *Lib. 5. Top. præsertim à ca 3. vsq; ad finem.*

sit

sit quæritur, in comparationem, id est, in quæstionem comparatam ea cadunt, vt
h Top. 89 Cicero affirmat in *h* Top. quæ ab eo in
i Top. 69. comparationis loco enumerata sunt in
k Lib. 3. *i* eodem libro, & ab Arist. in Topic. *k* co-
Top. piosius exposita. In id autem genus, in quo simpliciter quale quid sit exquiritur, adhibentur ea potissimum, quæ adiunctorum loco, vel comparatorum, vel similium, dissimilium, maiorum, minorũ, parium continentur: & loci accidentis, saltem complures, quos Philosophus enumerat in 2. Topicorum libro, in quibus illi sunt ferè, quos modo recensui, & locus coniugatorum, & causarum, & contrariorum locus, aliique quos ille locos, vt solet, nos cum aliis etiam capita, vel axiomata vocamus. cum proxime superiores, quos his permiscet non capita, aut maximę, sed loci potius capitum sint: qui propterea dicuntur loci differentiæ maximarum. Ex his perspicitur ad quos locos ei præcipuè confugiendum esset, qui quæstionem à nobis initio propositam tractandam susciperet. Quod si fortè aut nullæ rationes, aut non satis firmæ, atque vberes occurrerent, ei præsertim, qui vel nondum argumentorum locos nouit, vel ita quærenti, vt indicauimus, ne sic quidem celeriter se optimæ rationes offerrent, cum rerum ipsarum causas,

tas,& effecta,& cætera, quæ paulo ante recenſuimus, vel ignoret magna ſaltem ex parte, vel certè in promptu nō habeat, quod omnium meminiſſe, quæ audiendo, legendo, cogitando, & experiendo didicerit nemo poſſit: legat is præcipua quædam in probatis auctoribus, qui de quo agere inſtituerit, poſteritati ſcripta reliquerit: eaque quæ ſibi maxime profutura iudicabit, non multa tamen, ſelecta deſcribat. Sic enim fiet, vt inde & rationes firmiſſimas, & alia non pauca eruat, quibus non parum ad perficiendum inſtitutum adiuuetur.

DE TRACTATIONE ARgumentorum,

CAP. IV.

QVONIAM ſatis oſtendiſſe videmur, quemadmodū rationes, & argumenta inueniri oporteret: quique loci, quibus quæſtionum generibus magis apti eſſent: conſequi videtur, vt doceamus quanam ratione huiuſmodi argumenta tractari cōueniat. Si enim orator rationem ignoret peritè & legitimè ad quæſtionem argumenta accommodandi, eam ipſam quæſtionem, quam ſibi propoſuit explicandam, explicare nunquam poterit, nec orationem rectè vllam componere. Atq; hæc quidem accommodatio legitima rationis, & argumenti vna voce argumentatio

tatio nuncupatur. Et quoniam de hac accuratius alibi disputandum est: tantū, hic breuiter libet illius definitionē, & genera cum exemplis, & varietatem breuius ad extremum perstringere. Argumentationē igitur Cicero in Partitionibus definiuit, argumenti explicationē. Explicationis autē nomine intelligi firmam, & illustrem, & vt paulò ante dixi, legitimam argumenti cum tota quæstione, vel cum partibus quæstionis collocationem: vnde quæstio ipsa concluditur, vt si de quæstione 1. cap. proposita in alterutram partem velis differere, primum quærenda est ratio vna vel plures, quemadmodum supra præscripsimus; ponamus nunc exempli, & breuitatis causa hanc vnam ad confirmandam ex adiunctorum loco deprom-ptam: Quod honesta sint. Argumentum quidem est, honesta, sed quam vim id habeat non perspicitur: nisi ad quæstionem legitimè accommodetur, primum quidē cum attributo quęstionis, hoc modo: Honesta quæ sunt, amplecti decet. Deinde cū subiecto eiusdem hoc pacto: Atqui studia literarum sunt honesta; vnde concluditur quæstio ad hunc modum: ergo literarum studia sunt amplectenda. Quamquam satis plerunque est cum alterutra parte tantum quæstionis in antecedente coniungere rationem, vt fiat enthymema, præ-

Argumentatio quid sit.

termiſſa nimirum ſumptionū altera, vel propoſitione, vel aſſumptione, veruntamen intellecta, ſic: Honeſta ſunt amplectenda: ergo ſtudia literarum ſunt amplectenda. Item, ſtudia literarum ſunt honeſta: ſunt igitur amplectenda.

Genera argumētationum varia.

Multa enim, & varia ſunt argumentationum genera, præſertim apud Rhetores: quæ tamen præcipuis quibuſdam generum a ſummis comprehendi queant. Nomina ſingulorum generum in huius artificii præfatione deſcripſimus: quare quod paulò ante de his propoſitum eſt hoc loco perſequemur.

a *De quibus Ariſtot. lib. 2. prior Analyt. & li. 1. Top. & 1 li. ad Theod.*

Syllogiſmus prima principalis argumētatio.

Ac ratiocinatio quidem, quæ recepta etiam communi philoſophorum conſuetudine, voce Græca ſyllogiſmus dici ſolet, definitur ab Ariſt. & à Cicerone in priori de inuentione a libro: Oratio ex ipſa re probabile aliquid eliciens, quod expoſitum, & per ſe cognitum ſua ſe vi, & ratione confirmet. Oratio dicitur quoniam ex tribus ſemper verbis, ſeu terminis cōſtat, quorum apta inter ſe connexio conſtituit orationem, quæ ſanè connexio non poteſt fieri, niſi probabile aliquid ex re ipſa eliciat, id eſt, niſi argumentum, & ratio, quæ probetur aut omnibus, aut ſapientibus, atque his, vel omnibus, vel plurimis, vel maxime ſpectatis, eruatur ex ipſa quæſtione, hoc eſt, ex parte ſubiecta,

a *Cic. 1. de inuēt. 57.*

vel attributa quæstionis ad eam probandam, & explicandam. Quomodo autem eruatur argumentum ex partibus quæstionis, atque adeo ex singulis vtriusque partis vocibus, capite superiori copiosissime demonstratum est. Sed argumentum hinc erutum (quod medium vocat Arist. estque tertius ratiocinationis terminus, cum reliqui duo in quæstione sint) eiusmodi esse debet, vt sit per se notum, & notius ipsa quæstione, ac probabilius, vt intelligere licet ex partitionibus oratoriis

b Sect. 40 b M. Tullii. Quod idẽ Arist. confirmat in libr. 1, post. c. 21. Valde autem erit notum, & probabile, quod sua se vi & rationibus confirmabit: id est, ꝙ tam firmum, & validum erit, vt robur quasi natiuum, quo confirmare rem propositam, vel refellere valeat, ratio quædam sit indita ipsi, qua roboretur, & muniatur, nec alterius indigeat præsidii, siue alterius rationis auxilii ad rem conficiendam. Non quod alia id ratione probari nõ possit, si necesse foret, sed quod ex argumentis, quæ se quærentibus ex locis offerunt, firmissima quæq; sint eligenda. Porro hæc vis per se noti, & probabilis argumenti apparebit, cũ exponetur, & declarabitur illo aptè, & legitimè connectendo, atque coniungendo cũ partibus quæstionis, quemadmodum in declaranda definitione argumentationis

pau-

paulò ante expositū est. Sic nō cognoscitur vis magnetis, nisi ferro admoueatur, nec vis electri, nisi annulo, vel stipulæ, vel festucæ attrahendæ rite cōiungatur: nec secandi vis in gladio, vel securi, quæ rei sectili non applicetur. Hæc paulo pluribus ad intelligendam Cicer. definitionē quæ videbatur obscurior, dicta reprehendi nō debēt: cum præsertim ratiocinatio forma sit argumentationis omnium perfectissima, atq; absolutissima. Nunc exēpla subijciamus. Si ergò mundum consilio, & prouidentia gubernari, velis ostendere, argumentum ex effectorum loco, & ex attributo quæstionis depromptum, (optime gubernari) qui effectus est prouidentiæ nuda ratiocinatiōe, vt dialecticis mos est in disputando, hoc modo tractabis:

Quod optimè regitur, consilio, & prouidentia regitur.
Mundus autem optimè regitur.
Mundus ergò prouidentia regitur.

Sed si copiosius & ornatius Oratorum more rem eandem concludere libeat, vtēdū erit expolita ratiocinatione, vel quinque partita, vel quadripartita, subiecta vtrique sumptioni vel alterutri approbatione: de qua præcipit, fusè & eruditè Cicero in priori libro de inuentione à pag. 221. ad paginam 231. Sed videamus quomodo ratiocinatione quinque partium

superiorem Syllogismum ille idem pag. 222. tractet. *a* Melius accurantur quæ cōsilio geruntur, quam quæ sine cōsilio administrantur. *b* Domus ea quæ ratione regitur, omnibus instructior est rebus & apparatior; quam ea quæ temerè & nudo consilio administratur. Exercitus is, cui præpositus est sapiens, & callidus Imperator: omnibus partibus commodius regitur, quam is qui stultitia & temeritate alicuius administratur. Eadem nauigii ratio est. Nam nauis optimè cursum cōficit ea, quæ scientissimo gubernatore vtitur. *c* Nihil autem omnium rerum melius: quā omnis mundus administratur *d*. Nam & signorum ortus & obitus definitum quēdam ordinem seruant: & animæ commutationes, nō modo quadam ex necessitate semper eodem modo fiunt: verum ad vtilitates quoque rerum omnium sūt accommodatæ, & diurnæ, nocturnæque vicissitudines nulla in re vnquam mutatæ quicquam nocuerunt. Quę signo sunt, omnia non mediocri quodam consilio naturam mundi administrari *e*. Consilio igitur mundus administratur. Vel sic propositione & assumptione repetita. Quod si melius geruntur ea, quę consilio, quam quæ sine consilio administrantur, nihil autem omnium rerum melius, quàm omnis mundus administratur, cōsilio igitur

a Propositio siue maior.

b Approbatio propositionis ex enumeratione partium per inductionē in cuius extremo intelligitur clausula illa generalis quæ in hoc genere vsurpari solet.

c Assumptio, siue minor.

d Assumptionis approbatio ex effectis optimæ gubernationis.

e Cōplexio, siue cōclusio.

tur mundus administratur: plura ibidem exempla reperies, & apud Aristotelem non pauca, eaque satis perspicua in lib. 1. posteriorum cap. decimooctauo, & capite 20. 21. &c.

PER Enumerationem quoque, quam autor ad Herẽnium expeditionem vocat pag. 140. nudus aliquo modo expolitur Syllogismus, is præsertim, qui ex enumeratione partium conficitur. Vnde & hoc nomen ei Cicero tribuit, eamque definit in priori lib. de inuẽt. pag. 213. hoc modo. Enumeratio est, in qua pluribus rebus expositis & cæteris infirmatis, vna reliqua necessariò confirmatur, hoc pacto: Quoniam habes istum equum, aut emeris oportet, aut hæreditate possideas, aut munere acceperis, aut domi tibi natus sit, aut ex hostibus captus: aut si horum nihil est, surripueris necesse est: sed neque emisti, neque hæreditate venit, neque donatus est, neque domi natus est, neque ex hostibus captꝰ, necesse est ergo surripueris. Vide Cic. in lib. 1. de inuent. pag. 238. Aut rationibus compluribus enumeratis, omnibusq; sublatis. id quod inde efficiendum est etiã tollitur, vt indicat exemplum Ciceronis minime congruens eius definitioni, quòd est in priori lib. de inuent. pag. 214. huiusmodi: necesse est aut inimicitiarum causa ab hoc esse occisum, aut

Enumeratio & subiectio proximè reuocantur ad inductionẽ proinde melius illi subiicientur.

metus,aut ſpei,aut alicuius amici gratia: aut ſi horum nihil eſt ab hoc non eſſe occiſum,nam ſine cauſa maleficium ſuſceptum eſſe non poteſt. Sed neque inimicitiæ fuerunt,nec metus vllus, nec ſpes ex morte illius alicuius commodi,neque ad amicum huius aliquem mors eius pertinebat. Relinquitur igitur vt ab hoc non ſit occiſus:reprehenditur argumentatio ſi qua pars neceſſaria probetur omiſſa.

Subiectio SED SVBIECTIO, quæ vt expeditio & ratiocinatio expolita ad Syllogiſmum nudum reuocatur, cumque potiſſimum expolit etiam qui conſtat ex enumeratione partium ornatior eſt expeditione.Subiectio namque eſt, vt eſt in 4. ad Heren. pag.132. cum interrogamus aduerſarios, aut quærimus ipſi quid ab illis, aut quid contra nos dici poſſit.Deinde ſubiicimus id quod ſubiici oportet, aut quod non oportet,aut nobis adiumento futurum ſit, aut offuturum illis è cõtrario,hoc modo: Quæro igitur vnde iſte tam pecunioſus factus ſit.Amplum patrimonium relictũ eſt,at patris bona venierunt,hæreditas aliqua obuenit?non poteſt dici:ſed etiam à neceſſariis omnibus exhæredatus eſt.præmium aliquod ex lite, aut iudicio cœpit? non modo id non fecit,ſed etiam inſuper ipſe grandi ſponſione victus eſt. Ergò ſi his rationibus locupletatus non eſt, ſicuti

omnes videtis, aut isti domi nascitur aurum: aut vnde licitum non est, pecunias accepit. Reprehenditur & hæc argumentatio, si aut prætermissum aliquid ostendatur, aut ex enumeratis aliquid infirmetur. Quid autem hæc, à superiore discrepet alibi ostendemus.

SORITES, qui ad Syllogismum quoque reuocari debet, est veluti aceruus plurium syllogismorum: huius generis exẽplum hoc fit per gradus causarum: Africano industria virtutem, virtus gloriam, gloria æmulos comparauit: igitur Africano industria æmulos comparauit. Sorites.

SEQVITVR Enthymema, quod Aristot. in 2. a libro priorum, imperfectum Syllogismum vocat; in quo nimirum alterutra sumptionum reticetur: quam si suppleas, perfectum effeceris in aliqua figura Syllogismum. Vt, virtus laudabiles, & perfectos efficit possessores suos. Virtus igitur nobis est diligenter comparanda: hic propositio desideratur. In hoc assumptio: id quod laudabiles efficit eos, in quibus est, eosque perficit, studiose persequẽdum est, Quod cum ita sit virtuti comparandæ operam diligentem nauare debemus. Additum pronunciatum, quod deerat, argumentationis, vel veritatem, vel falsitatem patefaciet. Enthymema 2. principalis argumẽtatio. a *Arist. l. 2. prio ca. 24. vel, vt alij distinguũt cap. 22.*

EXPOLIRI solet Enthymema nedũ Collectio

eo genere argumentandi quod à recentioribus collectio nominatur & tractatur ab Authore ad Herennium in libr.2. pag. 52.& deinceps.Hæc argumentatio si perfectissima sit, quinque partibus absoluitur;propositione(quam eandem idē Author pag.55.& sequentibus & in lib.2.pag. 64. expositionē vocat) qua breuiter proponitur quod probādum est:ratione,quæ est rei propositæ approbatio:rationis cōfirmatiōe,quæ vno vel pluribus argumētis corroborat breuiter expositam rationem;exornatione, qua vtimur rei honestandæ & collocupletandæ causa, confirmata argumentatione: Cōplexione: quæ concludit breuiter,colligens partes argumentationis.Expoliamus igitur propositum Enthymema paulò ante propositū, per collectionem exempli tantum causa breuiter:nam alia in artificio librorum Ciceronis à nobis exposito poterunt exēpla reperiri. *a* Nihil est, in quo plus operæ,studii,laboris homines in vita collocare conueniat,quam in vna virtute cōparanda *b*.Hæc enim verè laudabiles eos efficit,in quorum animis domicilium & sedem habet,eosdemque perfectos atque absolutos reddit *c*. Quis enim iure non eos laudet qui prudentia illustres, qui recta,quæque praua sunt perspicientes,hæc fugiant illa sequantur? Quis non singula-

a Propositio siue expositio
b Ratio expositionis ex effectis.
c Confirmatio rationis ex enumeratione partium.

ri præconio dignos putet eos, qui iustitiã studiosissimè colentes, cuique suum tribuant? Qui fortitudinem consectantes res humanas non magni pendant, aduersa magno fortique animo perpetiantur? Qui studiosi temperantiæ in cohibendis cupiditatibus prauis salutariter elaborent? *d* Ergo si vera synceraque laus à virtute proficiscitur; ad eam certè adipiscendam nos omninò niti decet, cum præsertim virtus in homine sit naturæ humanæ absolutio *e*. Nam vt oculorum virtus est visus acumen, quod ipsum absolutio est oculorum naturæ: virtus aurium est auditus acer, qui quidem aurium naturæ est perfectio: pedum virtus habetur velocitas, quæ maxima ipsorum vis ac laus est: sic virtus animi, qua vtiq; probe affectus est animus, ipsum planè perficit & absoluit. Quod si ea quæ robustum corpus & valens efficiunt, quibus etiam naturalis eius forma conseruetur; tam vehementer homines consectantur, quid? Animi singularis medicina virtus negligetur, eiicietur, exterminabitur? *f* Si igitur laudandi sunt, merito, qui virtute præditi naturæ suæ perfectionem assequuntur; nullũ certè lapidẽ non mouere debemus, vt illam quæ tantũ boni pręstat possimus adipisci.

SVMMISSIO item vt collectio ad Enthymema refertur, quàm is qui scrip-

d Cōclusio superiorũ ante exornationẽ: quæ tamẽ potest & solet prætermitti: præsertim si in extremo loco ponatur: vel nisi argumentãdi varietas id efficiat.

e Exornatio à simili, & à minori.

f Cōplexio cum repetitione duplicis rationis.

Sũmissio.

sit Rhetoricam ad Herenn. ratiocinationem vocat in li. 4. pag. 123. quod sit rationum interiecta interrogatione cõnexio, quo fit, vt plura Enthymemata hic soleãt connecti. Exemplum tale est, maiores nostri si quam vnius peccati mulierem dãnabant: simplici iudicio multorum maleficiorum conuictam putabant. Quo pacto? quoniam quam impudicam iudicarant, eam veneficii quoque damnatam existimabant. Quid ita? Quia necesse est eã, quæ suum corpus addixerit turpissimæ cupiditati, timere permultos? Quos istos? virum, parentes, cæteros, ad quos videt sui dedecoris infamiam pertinere.

Dilẽma. COMPLEXIO itidem, quod Dilemma dicitur à Græcis, eodem referri debet, cum geminum quoddam Enthymema esse constet, hoc de genere ita Cic. in lib. priori de inuentione pag. 213. Complexio est, in qua vtrum concesseris, reprehenditur, ad hunc modum: si improbus est, cur vteris? si probus, cur accusas?

Simplex cõclusio. SIMPLEX conclusio ex necessaria cõsecutione cõficitur hoc modo? Si vos me istud fecisse dicitis: ego autem eo ipso tẽpore trãs mare fui: relinquitur vt id quod dicitis, non modo nõ fecerim, sed ne potuerim quidem facere, Sic M. A. in lib. 1. de inuent. pag. 214.

Opposi-tio. OPPOSITIO Enthymemati quoque

sub-

ſubiecta eſt, argumentatio ex repugnantibus conſtans: in qua ex oppoſito propoſitionis ad ipſam propoſitionem reuertimur hoc modo: ſi eo tempore, quo hunc hominē in prouincia occiſum dicitis, Romę fui, relinquetur à me occisũ nõ eſſe: nam ſi eo tempore, quo occisũ hunc dicitis in prouincia fuiſſem, à me occisũ ſuſpicari poteratis, nunc autem quoniam eo tempore in prouincia non fuerim, nõ eſt cur à me interfectum hominem ſuſpicemini.

VIOLATIO (quam Cicero in priori lib. de inuent. pag. 237. conuerſionem vocat) eſt concludendi modus ad refellendũ quam ad probandam aptior: in quo ex aduerſariorum ratione non id quod ipſi volunt, ſed quod nobiſcum facit, ſequi demonſtramus, vt, cùm CHRISTVS ieiunauerit, abſtinendum nobis eſt à ieiunio: imò quia CHRISTVS ieiunauit, nobis eſt amplectendum ieiunium. Omnis enim CHRISTI actio, noſtra eſt inſtructio, nam, vt ſcriptura teſtatur, Qui manet in CHRISTO, debet ſicut ille ambulauit, & ipſe ambulare. Violatio.

TERTIVM genus argumentandi pręcipuum eſt a Inductio: quę à rebus ſingulis, vel anguſtius patētibus, ad vniuerſas, vel latius patentes progreditur. Vt, Petrus eſt animal, & Paulus & Iacobus, & cęteri Inductio 3. principalis argumentatio. a De hac

 homi-

vide Arist li.2. prior. Analyt.ca. 18.& l.1. Top.ca. 10.

homines eodem modo : Omnes igitur homines fiunt animalia. Item nec Cræso aurum, nec vires Achilli, nec Demostheni eloquentia, nec Alexandro gloria felicitatem afferre potuit: & sic se res habet in cæteris rebus caducis: Nemo igitur est, qui in rebus cum tempore labentibus felix vnquam esse possit. Oratores tractant vberius inductionem, in qua plerunque clausulam illam generalem (& sic de cæteris, aut eius vim habentem) non exprimunt, cùm facilè intelligatur. Possent etiam enumeratio, & subiectio huc reuocari: sed hæc ipsa inductio ad Syllogismũ reuocat. Expolietur autem inductio, si singulæ partes eius copiosè & ornatè tractabuntur.

Exemplũ quarta argumẽtatio principalis.
b *De hoc vide Arist.l.2. prior. Analyt.c. 19.*

EXEMPLVM b restat, quod est inductio imperfecta, vel inductio Rhetorica: proinde sic potest definiri; argumentãdi ratio quędam, in qua vnum ex altero, vel ex pluribus propter mutuum quendam consensum, & similitudinem, quæ nullis reperitur inductionis propemodum forma probatur. Vt si fidẽ hostibus seruandam esse ex eo probes, quod Marcus Atilius Regulus vitam amittere, quam fidem hosti datam fallere maluerit. Item, non sibi consulerent vectores, qui gubernatores sorte deligerent: ergo non sibi cõsuleret Resp. quę sorte creauerit Magistratus

Item

Item si in manu, in brachio, in pede, aliisq; corporis partibus acceptum insanabile vulnus ense reciditur, ne pars syncera trahatur: debet & in capite plaga insanabilis eodem curari modo. Hinc apparet eam inductionem, de qua Cicero in priori li. de *c* inuentione disseruit ad exemplum esse reuocandam: cùm hoc tamen ad Syllogismum debeat reuocari, vt Aristoteles innuit.

c *Cic. 1. de inuen. 51.*

d *Arist. l. 2. prior. Anal. c. 18.*

VARIARE autem orationem argumentando magnoperè oportebit. Nam *a* omnibus in rebus similitudo est satietatis mater. Id fieri poterit, eodem autore, si non similiter semper ingrediamur, id est, argumentatione. Nam primum omnium generibus ipsis distinguere conuenit orationem: hoc est tum inductione vti, tum ratiocinatione, vel alio quopiam genere argumentandi. Deinde in ipsa argumentatione non semper à propositione incipere, nec semper quinque partibus abuti, neque eadem ratione expolire partes, sed tum ab assumptione incipere licet, tum ab approbatione alterutra, tum vtraque, tum hoc, tum illo genere *b* cõplexionis vti: & si aperta sit conclusio eam interdum prætermittere. Est etiam illa varietas in argumentando, & non iniucunda distinctio, quam perstrinxit Cicero in *c* partitionibus: vt cùm interro-

De varietate argumẽtãdi.

a *Cic. 1. de inuen. 76.*

b *Vide Ci. l. 1. de inuẽ. 79. Nã aut ita com plectemur &c.*

c *Sect. 47.*

gamus nosmetipsos, aut percontamur, aut optamus: quæ sunt cum aliis compluribus sententiarum ornamenta. Ac de argumentatione quidem satis in præsentia nobis dictum videtur.

QVID INVENTIS ARGVMENTIS ad quæstionem explicandam selectis faciendum Oratori ante confirmationis compositionem.

CAPVT V.

INVENTIS autem rationibus ad id, quod quæritur probandum aptis, & selectis, cogitet hic noster non ignarus argumenta tractandi, id quod dicturus, aut scripturus est vna ratiocinatione complecti, vel pluribus etiam, si res id postulare videatur, siue partem quæstionis affirmantem, seu negantem sibi ad tractandum sumat. Id paruo negocio conficere poterit, qui hac via ingredietur. Collocet in primis in medio paginę, vel animo fictæ, vel re ipsa ante oculos positæ vtramlibet superioris quæstionis partem: ponamus exempli causa, nunc affirmantẽ, hoc modo:

Literarum studia sunt amplectenda.

Deinde vnam aut alteram rationem, vel etiam plures hic subiiciat, hoc pacto.

Nam literis animus hominis ad id quod optimum est excolitur.
Quia literarum exercitatio est honesta.
Quia literæ sunt hominum generi vtiles, ac necessariæ.

His rationibus ita quæstioni subiectis, quarum prima ex affectis, secunda & tertia ex adiunctis deprompta est, facilè ratiocinatio simplex & nuda conficietur, quæ summam totius orationis comprehendat, hoc modo.

Ea, quibus ad id, quod optimum est animus excolitur, quæq; honesta sunt, nec non vtilia & necessaria mortaliũ generi sunt amplectenda.
At studia literarum sunt eiusmodi.
Ergo studia literarum sunt amplectenda.

In complexione ratiocinationis huius cernere licet affirmantem quęstionis partem paulò ante ad disputandũ propositã: quod nobis documento esse debet, idem aliis quoque in quæstionibus oportere seruari.

Sed quoniam hic sunt syllogismi plures propter multiplices rationes in vnum conglobati: & in cursu orationis singulæ rationes sunt separatim tractandæ: si ratiocinationibus id commodè fieri poterit, ne prætereatur. Id quidem præstare hoc loco difficile non erit. Proinde syllogismi tres conficiendi erunt ex singulis argu-

argumentis propositis: quorum complexio semper erit eadem propositũ thema complectens: qui deinceps erunt hoc ordine digerendi.

I.

Quæcunq; animum ad id, quod optimum est, excolunt, ac præparant, ea sunt amplectenda.
Literarum studia, & bonæ artes ad id, quod optimum est animum excolunt.
Ergo studia literarum sunt amplectenda.

II.

Exercitationes honestæ sunt amplectendæ.
Literarum studia sunt eiusmodi.
Igitur literarum studia sunt amplectenda.

III.

Quod est hominum generi vtile, ac necessarium, idem quoque est amplectendum.
Literarum studia sunt vtilia hominum generi, & necessaria.
Quamobrem studia literarum sunt amplectenda.

POSTQVAM singulis argumentationibus, argumenta singula hoc modo distincta fuerint: quærendæ rationes erunt ea via, quam ante tradidimus, quibus ipsę sumptiones, quæcunque approbationis indigebunt approbentur; & aliæ similiter quibus ipsæ rationes confirmentur, vtin colle-

collectione fieri solet: Nam singulæ sumptiones, cum per se quæstionem licet minus præcipuum efficiant, eadem prorsus rationes inueniendi ratio ad eas comprobandas, quæ ad quæstionem principalem explicandam singulis earum vocibus eodem modo discutiendis, seruanda est: quod idem ipsis approbationibus contingit; vt patet, & infra liquidius patebit diligenter intuenti. Sed ad rem locupletandam, & rerum varietate distinguendam orationem, similia, & dissimilia, apophthegmata, sentētiæ, & exempla ad rem accommodata, id est, quæ vocibus in quæstione, seu themate, nec non in vnoquoque thematis argumento, vel partibus omnium ratiocinationum propositarum positis respondeant, vel repugnent, vndique colligātur. Atque his potissimum in exornationibus collectionū locus erit, cùm ex his illæ constent, atque adeò ex omnibus comparationum & cōtentionum generibus. Sententiarum copiam suppeditabit is liber, qui Polyāthea inscribitur: liber sententiarum in folio Lugduni mandatus typis: volumen Græcarum sententiarum Ioanne Stobæo auctore: liber quidā sententiarum, & exēplorum, à quodam Lusitano compositus, & in 2. domos distinctus: libellus M. Tullii sententias complectens. Denique libris

quo sententiæ doctorum Ecclesię, & flores continentur. Similia, & dissimilia quomodo inuenienda sint, præter auctorem ad Herennium doctissime a Rodulphus ostendit, & nos Rethorica nostra breuiter ostendimus. Sed ea conuertenti animum ad eas res, quas mundus continet vniuersus, atque ipsum ad rem propositam reflectenti, vel sua sponte, vt & aliæ comparationes, inter componendū occurrent: & ei maximè qui rerum naturas cognouerit. Non tamen defuerunt, qui doctorum aliquot Ecclesiasticorum similitudines collegerint, & Ciceronis & Plutarchi. Apophthegmatum vero liber quidam plenus est: plena sunt exemplorum multa volumina: ex quibus tamen hæc præcipua sunt, liber quidam qui inscribitur Exempla virtutum, & vitiorum, qui varios autores continet, in quibus optimus est M. Marulus Spalatensis cùm propter breuitatem exemplorum, tum ob sermonis elegantiam. Huc etiam pertinet Officina Textoris, necnon volumen quoddam in folio, instar cuiusdam Cornucopiæ multiplici rerum genere, ac vario refertum, quod quidem, Theatrum vitæ humanæ inscribitur: idque est eligēdum, quod nuperrimè Parisiis, & emendatum, & auctum maiori copia ferunt. Sed præstiterit ex ipsa lectione authorum copiam

a Rodul. lib. 1. de inuent. Dialect. cap. 25.

copiam harum rerum omnium comparare: quibus vti potiſſimum in exornationibus collectionum,& aliis amplificationibus oportebit. Hic tamen illa cautio adhibenda eſt, vt ne nimis multa eiuſmodi colligantur, cùm pauca ſufficere poſſint:&modus iis orationibus inſerendis teneatur. Quanquam ſimilitudinibus, & exemplis, vt & alis comparationibus, abundantius vti licebit. Quod autem ad Chriſtianos Oratores, id eſt, ad Concionatores attinet: hi præterea debent autoritates, ac teſtimonia è ſacris literis, Conciliis, & partibus eodem modo colligere: quibus non ornent modo, verùm etiam maximè probent: in quibus principatum tenent diuina teſtimonia, quæ & omnibus argumentorum generibus præſtant, vt alibi iam diximus.

DE CONFIRMATIONE COMponenda, ac de Syllogiſmi primi partibus tractandis.

CAP. VI.

MATERIA hoc modo comparata, aggrediendum erit ad confirmationis compoſitionem: niſi narratio propria quæſtionis præponenda eſſet: qua in ſacris concionibus hiſtoria Euangelica nulla videri debet aptior. Prima autem ratiocinatio ex tribus propoſitis, primo

loco

loco est constituenda: cuius sumptiones, id est, tum propositionem, tum assumptionem tractes, & expolias adhibita vel ratiocinatione altera, vel collectione, vel inductione: vel aliquo alio argumentationis genere: cùm nullum sit, quod ratiocinationem ingredi non possit. Sed vnaquæque pars argumentationis paulò copiosius & ornatius, quam supra, quæ ieiunè admodum expressæ sunt, poterunt proponi. Exempli causa, propositio primæ ratiocinationis hoc modo exprimatur.

Sic ego sentio, auditores, nihil esse in rerum natura, quo animus ad id quod optimum est excolatur, quod non sit omni studio complectendum.

Huic deinde ratio subiiciatur: cui succedat confirmatio rationis: tum exornatio: postremo conclusio, quæ est extrema pars quinque partitæ, collectionis, vim ipsius propositionis alia verborum forma continens: nisi vel ratiocinatione, vel enthymate, vel inductione, vel alia quapiã argumentandi specie vti malis. Nec enim illud ignorandum, aut silentio prætereundum est, quod maximè ad artificiũ spectat, nullum esse genus argumentationis, quod non ingrediatur ratiocinationem, ne vel ipsa quidem ratiocinatione dempta. Nam ratiocinationis alterutrã,

vel vtranque ſumptionem, hoc eſt tum propoſitionem,tum aſſumptionem rectè adhibita ratiocinatione alia, vel inductione,vel collectione,vel quouis alio argumentandi genere tractaueris:cùm nulli tamen reliquarum omnium, ne collectioni quidem ratiocinatio, ſaltem paulò copioſior inferatur. Quamuis autem ratiocinationem collectio vix admittat ad propoſitionis ſuæ,aut rationis, aut alicuius aliarum partium, ex quibus conſtat,approbationem: cæteræ tamen argumen tationes oratoriæ illi etiam vt ratiocinationi famulantur:ipſa verò earum nulli:quam dignitatem habet,cum ratiocinatione communem. Itaque propoſitionem collectionis, aut rationem nunc hac, nunc illa argumentationis forma explicare,& expoliri licet:nulla eſt autem ſpecies argumentandi (vnam ratiocinationem ſemper excipio) cui ſeruire collectio cogatur. Quòd ſi argumentis pluribus propoſitio confirmanda videbitur eiuſdem ratiocinationis, primā collectionem,aut aliam argumentationem, ſi adhiberetur,excipere ſecunda poterit:atque ita deinceps,vt quot rationes ad propoſitionem probandam adhibebuntur,tot etiam rationum tractationes, hoc eſt, tot argumentationes adhibeantur. Quanquā neceſſe non erit continuare collectiones,

aut

aut ratiocinationes, aut alias argumentationes, quibus in principio vti libuerit: cũ integrũ cuique ſit primæ argumentationi ſubiungere aliam alterius generis, qua alia ratio tractetur: vt collectioni ſubiicere ratiocinationem, vel inductionẽ, vel enthymema, vel aliam quamuis argumentationem, & huic rurſus in tertia ratione tractanda, ſi qua ſit aliam; quod vel varietatis cauſa interdum fieri debet. Sed ea quæ paulò poſt de ſumptionibus approbandis dicemus, hæc ipſa planius illuſtrabunt.

Cùm propoſitio fuerit hoc modo approbata, & duæ partes tranſierint quinq; partitæ ratiocinationis, ad aſſumptionẽ tranſeundum erit, hoc modo:

Quid autem eſt à Deo immortali mortalibus tributum ad animos excolendos aptius, & ad virtutem præcolendos potentius ſtudio literarum atque doctrinæ?

Huius aſſumptionis quarto in loco inducenda approbatio eſt, vel vna, vel plures etiam, ſi ſit opus: de quibus tractandis non aliud præcipiendum videtur, quàm quod de approbationibus propoſitionis paulò ante traditum eſt. Quapropter eadem huc transferri oportebit: Sed vnum illud eſt peculiare & proprium huius loci non prætereundum, quod inſtar ſit præ-

cepti

cepti generalis, quod in simili genere alibi sequamur, huius assumptionis rationes, quæ vel collectione, vel alia quapiam argumentandi forma explicentur, posse per comparationem simul tractari, quam forma ipsa sic expressæ assumptionis sua sponte subministrat.

Porrò cùm dixerimus propositionem & assumptionem pluribus argumentis approbari posse, vt facilior id efficiendi ratio iniri possit, idem præcipiendum de vtraque est, quod supra de principali quæstione præcepimus: vt tum propositio, tum assumptio in medio paginæ cōstituatur: eisque rationes quotquot erunt ad eas explicandas excogitatæ subiiciantur: ex quibus eodem modo, vel ratiocinationes aliæ, vel ali[illegible] argumentationū species conficiantur. Quod etsi adeò perspicuum est ex iis quæ adhuc dicta sunt, vt id exemplis illustrare necesse non sit, & hæc tam minuta diligentia ingeniosis, & exercitatis aut ridicula fortè, aut minus necessaria videbitur: tamen in rudiorum gratiā, quibus in hac re, quasi infantibus, omnia minima māsa in os inserere melius est, in prima propositæ quęstionis ratiocinatione (nam eadem in reliquis ratio seruanda erit) queadmodū fiat, ostendamus. Statuamus igitur in medio primę ratiocinationis propositionē, hoc modo.

Quæcunque animum ad id quod optimum est, excolunt, ea sunt amplectenda.

Huic deinde rationes in præsentia duas (plures enim ei, vt etiam aliis, addere liceat) subiiciamus, quarum prior ex re subiecta, posterior ex partium enumeratione sumpta sit, hoc pacto:

Quia animus hominis pars est præstantissima.

Quia sic mentem, voluntatem & memoriã ad id quod optimum est excolunt.

Ex his deinde ratiocinationes duæ hoc modo fieri possunt.

I.

Ea, quibus excolitur ad id, quod optimũ est, pars præstantissima hominis sunt amplectenda.

Sed animus hominis pars præstantissima est.

Quamobrem ea, quæ animum ad id, quod optimum est, excolunt, sunt amplectenda.

II.

Ea, quæ mentem, voluntatem, & memoriã ad id, quod optimum est, excolunt, sunt sequenda maximè.

Quæ aũt animum excolunt ad id, quod optimum est, ad idem quoq; mentem, volũtatem, & memoriam excolunt.

Quapropter ea, quæ animum, ad id quod optimum est, excolunt, sunt amplectenda.

De

De Assumptione idem planè iudicandum est: quæ fuit huiusmodi.

At literarum studia ad id, quod optimum est, animum excolunt.

Cui rationes totidem, quod propositioni, vel plures, prout res feret, subiicere integrum erit. Subiiciamus nunc, exempli causa, etiam duas ad hunc modum.

Quia excolunt, & præparant animũ virtuti.

Quia studium agriculturæ agrum colit & præparat ad accipienda

Semina quæq; optima. & hortum ad præstantissimos suauissimosqúe flores producendos.

Ex his duas itidem ratiocinationes cõflari oportebit in hunc modum.

I.

Quæ animum ad virtutem excolunt, ad id, quod optimum est animum excolunt.

At qui literarum studia id præstant.

Ergo studia literarum ad id, quod optimum est, animum excolunt.

Si agriculturæ studium agrum ad accipienda semina quæq; optima & hortum ad præstantissimos, suauissimosq; flores producendos excolit, ac præparat: studia litterarum ad id, quod optimum est, animum excolunt.

Prius autem omnibus perspicuum est.

Posterius igitur non debet in dubium vocari.

Neque hic tamen, neque illic necessario ratiocinatione vtemur: cum vel collectione, vel enthymemate, vel alia quapiam argumentãdi specie liceat vti. Quãquam ratio posterior cum ex loco similium sumpta sit, in argumentatione expressa similitudinis nota frequẽtius exprimi solet. Porro quod in illarum sumptionũ approbationibus subiiciendis rationibus & argumentationibus formandis seruatum est, idem in harum quatuor sumptionibus approbandis, & in aliis item, quæ ex illarũ rationibus orirentur, seruari posset. Verùm in primis, aut ad summum in secundis, vel tertiis consistendum est; ne res infinitum habeat, & confusio maxima pariatur: ex qua ne ipsum quidem M. Tulliũ, aut Aristotelem, si adesset, facilè, & laudabiliter emersurum esse putem. Nos quoque ne tradendis præceptis sim⁹ molesti, ne abeamus longius: quin copiosiorem, & subtiliorem de hac re disputationem ex Rodulpho peti iubeamus. Nã quod is docet in cap. 11. lib. 2. de quæstione in plures deducenda, totum huc pertinet, estque vtilissimũ lectu; sed illud maxime quod ab eodem traditur in li. 3. c. 5. de copia, quæ paratur argumentatione. Interim verò ad reliqua pergemus.

His

His demum ita constitutis concludere argumentationem oportebit, seruatis iis, quæ de complexionum generibus à M. Tullio Cic. in præceptis argumentationis in a priori libr. de inuentione traduntur. Verùm planius docendi causa & hanc partem separatim ita exprimamus.

a *Cic. 1. de inuen. 73.*

Quod si eæ nullo modo repudiandæ: quin potius magni faciendæ sunt, quibus hominum mentes excultæ, id quod optimum, & præstantissimum est assequantur: bonarum verò disciplinarum vis ea est, vt inde tanquam ex perenni fonte tantum boni haurire possimus: non modo literas non negligendas arbitror: sed omni potius diligentia, labore, studio complectendas.

QVÆ RATIO IN CÆTEris Syllogismis seruanda.

CAP. VII.

PRIMA ratiocinatione ad hunc modũ tractata, quæ vel dimidiã partem orationis complecti posset, nisi tres adhiberentur: artificiose secunda illi erit connectenda, quę nimirum alteram conclusionis, ac thematis propositi rationem continet, hoc ferè modo.

Cùm præsertim nemo sit, qui fateatur eas exercitationes, quæ hominem cohonestēt, & in magno dignitatis gradu collocent consectari oportere.

Hanc propositionem secundæ ratiocinationis approbatione subiecta tractare conueniet, quemadmodum in superiore ratiocinatione præceptum est. Deinde ad assumptionem veniendum: cui pari ratione sua probatio addatur. Postremo loco inducenda cōplexio est. Atque vt paucis multa complectar, quæ præcepta paulò ante de prima ratiocinatione data sūt, eadem huc omnia transferantur. Neque verò præceptiones aliæ de tertia, & cæteris omnibus expectandæ sunt. Et quod de secunda primæ coniungenda præcepimus, idem reliquis eodem modo tribuatur. Tametsi aliæ sunt connectendi rationes, quæ sese offerent vel non quæsitæ componenti: ei verò aptissimæ, & elegātissimæ, qui illas in M. Tullio diligenter obseruarit.

QVID SPECTANDVM IN Alijs argumentationum generibus, si illis vtamur.

CAPVT VIII.

ET quoniam aliter quam ratiocinando argumentari possumus, atque aliis argumentationibus rem eandem explicare, & si

& si hoc Cicero quoque non docuit, qui nunc hoc, nūc illo argumentationis genere vtendum tradidit varietatis causa: id tamen proposito exemplo quomodo fiat, operæ pretium duxi paucis ostendere. Repetamus igitur idem thema, & in medio rursum collocemus.

Litterarum studia sunt amplectenda.

Id confirmationis initio positum collectione multiplici absque ratiocinatione explicari poterit, ita, vt cùm ad cōclusionem perueneris (quæ idem quod propositio in hoc argumentandi genere, præter rationes repetitas complectitur) alia collectione vti possis, atque ita deinceps in aliis. Nam complectio superioris collectionis eadem est propositio sequētis. Quam argumentandi rationem in principibus Oratorū Demosthene, & M. Tullio obseruare frequentem licet, in iis præsertim orationibus, quas ad populum habuerunt. Sed in eadem oratione nunc ratiocinatione, nunc collectione, nunc alio argumentandi genere pro arbitrio vti licet, vt sæpè iam monuimus.

Illud modo videndum est, quid deceat, quidque sit aptum magis.

VNVM PLERVNQVE ARGVmentum sufficere ad quæstionem vel rationem quæstionis explicandam.

CAP. IX.

HOc loco tandem illud aperiendum est, quod nos ostẽsuros, cùm de partibus artium loqueremur polliciti sumus. Commodior enim locus id exponendi se non obtulit, cùm alioqui secundus aliarum rerum explicandarum cursus impediretur. Si quis itaque tribus illis principalibus rationibus prætermissis, sola illa partium enumeratione contentus esse velit: quæstioni hoc modo rationem subiungat oportet:

Quia studia Grammaticæ, Dialecticæ, Rhetoricæ, Musicæ, Arithmeticæ, Geometriæ, & Astronomiæ sunt amplectenda.

Aut ex altera distributione artiũ, hoc modo.

Quoniam earum artium studia, quæ sunt cognitionis, itemq́; actionis, & effectionis amplecti conuenit.

Ex quibus deinde ratiocinationes, aut aliæ argumentationes fiãt, quemadmodum supra demonstrauimus. Sed cùm rationes illæ superiores tres, aptissimæ sint ad explicandam quæstionem, posset hæc enu-

enumeratio adhiberi, vt ſupra dictum eſt, ad confirmationem vnius argumenti ex tribus ante propoſitis. Nullum autem omnium eſt, cui aptius quam tertio conueniat. Argumentum igitur illud quaſi thema hoc modo in pagina media collocatum;

Literæ ſunt hominum generi vtiles, ac neceſſariæ.

Subiecta hoc pacto ratione comprobabis.

Quoniam Grammatica, Dialect. Rhetor. Muſic. Arithmet. Geom. Aſtronom. ſunt hominibus vtiles, ac neceſſariæ.

Quia cognitionis artes, actionis, & effectionis ſunt mortalibus fructuoſæ, & neceſſariæ.

Hæc autem argumenta oratoriè & artificiosè tractata quãtam rerum ſyluam, quantamque dicendi copiam Oratori ſuppeditatura ſint, nemo non videt, qui ſit mediocriter eruditus.

DE TRACTANDA PARTE quæſtionis negante, & de refutatione.

CAP. X.

ATQVE hæc ferè ratio eſt tractandi partem quæſtionis affirmantem, & probandi. Nam de motu etiam infra nõnihil dicetur. Ne quis autem putet alias

argumentationes ad refutandum necessarias esse: quæ affirmanti parti quæstionis explicandæ conueniunt; eędem negāti possunt accommodari. Quod quidem breuiter, & cursim in codē exemplo persistentes ostendemus. Collocandum igitur, vt supra diximus in medio thema hoc pacto:

Literarum studia non sunt amplectenda.

Deinde firmissimas quasque rationes huic subiicere oportet, hac ratione.

Quia obsunt valetudini.

Quia nocent rebuspublicis, & regnis.

Quia nobilissimi quiq; rebus alijs potius, quã artibus delectantur.

Plures quidem rationes proferre possem: sed his docendi causa sum contentus: ex quibus ratiocinationes eodē modo confici possunt, quo supra demonstrauimus, & oratione dilatari: aut in collectionem aliasque argumentationis formas redigi; quare omnia de superioribus repetantur. Illud vnum hoc loco tantùm meminerimus, vnicam esse argumentandi speciem, quæ sit propria confutationis, cui violatio nomen est: cùm tamen ea rarò vti contingat.

DE DISPOSITIONE QVÆSTIONUM, argumentorum, & argumentationum in oratione.

CAP. XI.

IAM verò, cum & quæstiones interdum plures in eadem oratione tractandæ principales, & argumenta plura cum horum tractationibus locum habeant, hisque non rarò amplificationes ad mouendum comitentur: nonnulla de his, vt instituti nostri ratio postulat collocādis, perstringamus. Non enim parui refert quo quæstiones ordine digerantur, & ab oratore tractentur: cùm plerunque accidat, vt vnius cognitio, ex alterius cognitione pendeat. Ex quo fit vt nisi eam quęstionem cuius explicatione sequens illustretur priorem tractet, magnum lumen detrahat orationi. Nam cùm alia multa perspicuitatem efficiunt, tū vel maximè ordo lucem iis affert, quæ dicuntur. Quāobrem quæstiones qualescunque sint, sic ab Oratore disponantur, vt eę, quibus expositis, reliquas auditores facilius intellecturi videantur, antecedāt, aliæ subsequātur: cæteroquin ordinē, cuiuis ad arbitriū fingere licebit. De hac quęstionum dispositione multa præclarè a Rodulphus scripta reliquit, ex quo fonte hauriāt omnes, quantum, quoque modo videbitur licere.

a *Lib. 3. de inuēt. Dialect. cap. 12.*

Proxima est collocatio argumentorũ: de qua illud breuiter tradi potest, q; M. Tullius docet in *b* Oratore vt de firmissimis alia Orator prima ponat, alia postrema, inculcetque leuiora. Qui plura de hac re desiderat, legat lib. Rhetor. M. Tullii, & aliorum, sed Rodulphum non prætermittat in lib. 3. cap. 13. in quo argumentationem pro argumento ponit.

b Cic. in Orat. 50.

Sequitur ordo argumentationum, qui duplex est: aut enim in ipsis argumentationibus, aut in partibus earum disponẽdis positus est. Ac de priori quidem ratione illud breuiter dici potest, eodem esse ordine argumentationes digerendas, quo argumenta disponi oportere dictum est. De posteriore iam pleraque in progressu totius præceptionis huius tradita sunt: sed alia quædam commodè hic pręcipientur. Quamuis enim ille ordo partiũ argumentationis, qui supra expositus est, in componendo teneri queat, ita vt in quaque argumentatione tractanda propositio prima cum approbatione sit, assumptio secunda: quam sua probatio sequatur; conclusio extremum locum occupet (quem ordinem tyronibus in principio sequendum iudico, dum paulò maiorem in litteris progressum fecerint, & plusculum iudicii nacti fuerint) quia tamen similitudo est satietatis mater,

ne

ne ſemper eodẽ modo dicere videamur, ſeruanda erunt illa diligenter præcepta variandæ argumentationis, quæ à Marco Tull. dari e ſupra diximus, & à nobis alibi copioſiſſimè declarantur. Ne quis autem noſtram diligentiam in re propoſita deſideret, demus aliquod huius ordinis in ea ſpecimen, quod ſit quaſi exemplar futurum reliquis. Nã confirmationis principium in hac oratione, quæ de literis habetur, duci ab aſſumptione cũ ſua ratione potuit, quam vel concluſio, vel propoſitio cum approbatione ſua ſequeretur: quãquam alterutrius ſumptionis approbatio præteriri poteſt: cum præſertim sẽper omnia confirmare argumentando neceſſe non ſit. Quinetiam alterutri ſumptioni ſuam approbationem præponere licet, vel etiã interponere, vt pars approbationis antecedat, pars conſequatur. Accidere illud etiam poteſt, vt complexio primum ſibi locum vendicet, aſſumptio ſecũdum, propoſitio poſtremum. Quanquam prudentia, vt vbique, ita hic, moderari debet prudenti oratori, & prouido. Quamuis enim plerunque hanc an illam partem præponas parum, aut nihil interſit: interdum tamen temeritatis, ac ſtultitiæ argumentum ſit, ordinem partium argumentationis in dicendo negligere. Quare quod de quæſtionibus collocandis

e *Supra c. 4. Vide & Rodul. l. 3. de inuẽt. Dia. c. 14. & 15*

præceptum est, idem aliquando hic faciẽdum esse, intelligatur: cum præsertim ipsę sumptiones, & omninò quidquid sumitur ad probandum vel probatur, quæstionis accipiat nomen. Huiusmodi autẽ varietates argumentandi in Ciceronis orationibus obseruare cuique licet. Verum & hæc pauca, quæ diximus & alia variandæ argumentationis præcepta ex ipsius M. Tullii locis paulò ante citatis petantur. Vnum illud tantum breuiter significabo, cuius vsum per se satis tyrones non sint intellecturi, nisi exẽplo aliquo doceãtur, quod Cicero in Partitionibus oratoriis inter cætera distinguendæ argumentationis præcepta plerunque imperandũ esse, & optandum tradit. Repetamus igitur, exempli causa, complexionem ratiocinationum superiorum, quæ hoc pacto simpliciter, & imperandi modo efferetur:

Ergo literarum studia diligenter sunt amplectenda.

Eam imperando sic exprimi ferè oporteret.

Amplectimini ergò adolescentes literarum studia, atq; in bonas artes incumbite diligenter

Optando autem hoc modo cum repetitione argumẽti.

Vtinam studiosi adolescentes, studiosius literas amplecteremur, quibus illam nostræ naturæ partem, quæ similes Deo dicimur, excoleremus.

De his intelligi facilè potest, quo modo aliis exornationibus, quæ à M. Tullio cursim indicantur, vti ad variandum debeamus. Ita fiet vt cum sæpius in toto cursu orationis complexio repetenda sit, facilè tædium hac varietate vitetur, atque oratio ipsa magis exornetur. Quæ sanè variandi ratio in alias quoque partes argumentationis cadere potest. Si quis omnia, quæ de dispositione Rodulphus in 3. lib. de inuent. Dialectica scripsit, videre desiderat, incipiat à cap. 6. eius libri, & sequentia percurrat vsque ad caput 11. à nobis primo loco de hac supra notatū; maximè verò decimū, in quo agitur de collocatione narrationis oratoriæ.

DE AMPLIFICATIONE, ET motu, & eorum collocatione.

CAP. XII.

RESTANT amplificationes, quæ ad motum sunt comparatæ: quibus qui loci conueniant in oratione breuiter aperiendum est. Id enim ad collocandi rationem quoque spectat, de qua nunc agimus. Quoniam igitur, vt inquit Antonius in 2. a de Oratore tribus rebus a Sect. 310.

hominés ad nostram sententiam perducimus, aut docendo, aut conciliando, aut permouendo: vna ex his tribus præ nobis est ferenda, vt nihil aliud nisi docere velle videamur: quo spectant ea, quæ adhuc de componendo diximus: reliquæ duæ, de quibus nunc breuiter agendum est, sicut sanguis in corporibus, sic illę in perpetuis orationibus fusæ esse debebunt. Nam & principia, & cæteræ partes orationis, habere hanc vim magnoperè debent, vt ad eorum mentes, apud quos agitur, mouẽdas permanare possint. Sed his partibus orationis, quæ etsi nihil docent argumẽtando, persuadendo tamen & commouẽdo proficiũt plurimum, quamquam maximè proprius est locus & in exordiendo, & in perorando: digredi tamen ab eo, quod proposueris, atque agas, permouendorum animorum causa, sæpe vtile est. Itaque vel narratione exposita sæpe datur ad commouendos animos digrediendi locus, vel argumentis nostris confirmatis, vel contrariis refutatis, vel vtroque loco, vel omnibus, si habet eam quæstio dignitatem, atque copiam, rectè id fieri potest: hæque quæstiones sunt ad augendum, & ad ornandum grauissimæ, atque plenissimæ, quæ plurimos exitus dant ad eiusmodi digressionem, vt iis locis vti liceat, quibus animorum impetus eorum,

qui

qui audiunt, aut impellantur, aut reflectãtur. Huc etiam pertinent quæ scripsit M. Tullius in *b* Oratore his verbis: Augendis verò rebus, & contra abiiciēdis, nihil est, quod non perficere possit oratio: quod & inter argumenta faciendum est, quotiescunque dabitur vel amplificandi, vel minuendi locus, & penè infinite in perorando. Atque vt omittam quæ hac de re in Partitionibus & in 3. de Oratore traduntur (nam hæc alibi tractabimus) illa tamē quæ in Bruto idem scripsit non prætermittam, quod plurimum huic loco lucis afferant. In eo namque *c* libro, de Sergio Galba loquens ita scriptum reliquit: Et nimirum is princeps ex Latinis illa oratorū propria, & quasi legitima opera (id est officia) tractauit, vt egrederetur à proposito ornandi causa, vt delectaret animos, aut permoueret, vt augeret rem, vt miserationibus, vt communibus locis vteretur. Quibus verbis, cum plures digrediendi, & amplificandi rationes, quam vel conciliandi, & delectandi, vel permouendi, & concitandi causa percensere videatur: tamen id ita accipiendum est, vt illæ omnes postremis duobus oratoris muneribus, quæ supra recensui, continentur. Egredi namque à proposito, si quidem id fiat ornandi causa, pertinet ad secundam partem officii oratorii: si concitandi,

b *Cic. in in orat.* 127.

c *Cic. in in orat.* 32.

tandi, ad tertiam. Augere rem, vel ad cõciliandum spectat, vel ad permouendum. Miserationes permotionem habent. Vti locis communibus est quidem oratoris: sed locis communibus vtitur orator vel ornandi, & delectandi causa, vel inflammandi. Aliter tamẽ cum orator Christianus omnis, tum vel maxime ecclesiasticus inflammare animos, & omninò affectibus vti debet, quam veteres in causis agendis oratores vterentur: quibus certè hoc mouendi munus minimè conueniebat in causarum actionibus, quod plerunque his iudicia peruerterẽtur: ne Christianis quidem in simili genere congruit: nisi fortè cum certissima veritas & publica Christianæ religionis vtilitas, improbitate hominum, in discrimen vocaretur. At Ecclesiasticorum oratorum id maxime proprium est: quibus non est satis rerum veritatem ostendere: sed animos etiam auditorum ad æternæ felicitatis desiderium rapere: ac proinde iacentes in vitiis erigere, languentes in via domini excitare, ad omne Christiani officii genus impellere: in summa, Dei amore, & proximi illorum mentes incendere; non in personas more veterum, sed in vitia odium concitare. Sed, vt ad propositum reuertamur, ex iis quæ dicta sunt liquido satis constat, quibus in locis oporteat excitare

tare

tare motus, res tamen liquidior fiet præceptis ad thema propositum accommodatis. Atque vt principia, & perorationes omittamus, in quibus maxime amplificationes dominantur, de confirmatione differamus. Nam propositione approbata primæ ratiocinationis, vel certè post complexionem totius ratiocinationis, digredi licet ad amplificandum in eos, qui quæ ad cultum corporis, quam quæ ad animum excolendum pertinent, persequi malunt: ita dum corporis curam potissimum gerunt, ferinum viuendi morem persequuntur. Quæ sanè amplificatio copiosè ornari, & exprimi potest. Videndum tamen est, ne quid nimis, & vt misericordia potius in illos, quam odium, vel inuidia excitetur. Quod autem de hac vna ratiocinatione dicitur, idem de aliis iudicandum est, dummodo assumptione confirmata (si res materiam amplificandi suppeditaret) id etiam fieri posse intelligatur. Quinetiam hæc præceptio debet ad alias argumentandi species accommodari. Cumque in orationem multæ descriptiones & narrationes, aliæque id genus digressiones, tum ornandi, tum delectandi causa incidere possint: non erunt illæ quidem, si res ita feret, prætermittendæ: hic tantum vna

cautio est, vt in his modus non transeatur, nec ea exprimantur oratione, quæ molestia onerent potius, quam leuent auditores. Proposita certè quæstio, in qua de literis agitur, præclaras tũ descriptiones, tum narrationes admittit. Nam primæ argumẽtationis propositione approbata, opportunus componendi dabitur digrediendi locus ad Gymnasia veterum Græcorum describenda, in quibus viri ingenio doctrinaque præstantes animos literarum studiis excolebant: quorum exempla proferenda sunt ad propositionẽ illius ratiocinationis illustrãdam, & collocupletandam. In alteram quoq; ratiocinationem cõmodè narratio cadet: qua exprimatur præstans reipubl. forma cuiusdam Indicæ gentis, quæ inter cætera, quæ ad rempublicam bene & feliciter administrandam pertineant, illud quoque viderit, necessariam esse Academiam, in qua bonis artibus adolescentes imbuerẽtur, quod vel honestas esse huiusmodi exercitationes, vel reip. perquam fructuosas, & planè necessarias intelligeret. Hic erit numerus Gymnasiorum, & mos etiã ipsius Academiæ describendus. Tota verò huius rei historia, ex eorum libris petẽda est, qui res Indicas nuper literis mandauerunt. Cæterum de affectibus qui plura desiderat legat præter *d* M. Tullium,

d Cic. in 2. de ora. cap. 178. ad 216

& e Aristotelem, legat, inquam, Rodulphum f Agricolam, qui de vtroque motus genere multa præclarè disseruit. Sed omnia, quæ de hoc genere ab illis, aliisq; scripta sunt, Christi regula dirigantur.

e *Arist. in 2. ad Theo.*
f *Rodulp. l. 3. de Inuent. Dialect. c. 1. ad c. 6.*

QVÆDAM DE GENERE DEmonstratiuo peculiaria.

CAP. XIII.

IAM verò in exornationibus peculiaria quædam sunt obseruanda: quod in his certa, aut pro certis posita augentur, & exornantur, non incerta probantur, ex quo fit, vt hæc amplificationibus cōstent, non argumentationibus vt Cicero in a Partitionibus Oratoriis docet, nisi cum aliquid dicitur, quod incredibile videri possit, vel cuius aliquis alius autor existimetur, vt docet b Aristoteles. Excipiendæ sunt etiam scriptiones, id est, ea quæ à viris eruditis de disciplinis conscribuntur, aliaque generis eiusdem, in quibus, & dubia probari, & argumētari autores nemo dubitet, cum tamen c hæc sint exornationis. Sed cum ibidem M. Tullius dicat in huius generis orationibus etiam facta narrari, perspicuum est, in eas incidere narrationes: vt confirmatio in hoc genere, ex narrationibus, & amplificationibus tota constet. Quod quoniam rudioribus obscurum videbitur, cæteris omissis quæ

a *1. Sect. 71.*
b *Lib. 3. ad Theo. ca. 17. nō longe à principio, vel c. 27. in principio capit.*
c *Vide Cic. in orat. 37.*

de genere Demonstratiuo ex eodem libro Partitionum, & aliunde petēda sunt, planum facere conabor: cum præsertim maximum in hac re vna momentum sit positum laudationis. Illud ergo ratum, ac fixum esse debet, in demonstratiuo genere extra scriptiones illas, quas modo dixi, semper amplificationibus, raro argumentis, & argumentationibus vti oratorem: Amplificationes autem huiusmodi, vel ad personas, vel ad res exornandas magnificentius, & extollendas altius adhibētur. Sed cum laus, aut vituperatio personis ex bonorum, aut malorum generibus & potissimum ex animi bonis, & virtutis vsu contingat: cognoscenda erit laudatori eius vita, quem laudandum suscepit, vnde singula eius consilia, dicta, factaque laudabilia, id est, quæ cum virtute sensit,
d Par. 82 dixit, aut gessit, vt d est in Partitionibus, aut certè prçcipua, & maximè insignia ad laudem, inde ad ornandum, & augendū adhibitis amplificationibus ex inueniendi locis, colligat. Vnumquodque autem horum in propria virtutum genera digestum exponi, & narrari breuiter oportet: propterea scripsit M. Tullius hōc dictionis genus narrationibus factorum confici, quibus adderentur amplificationes. Sed narranda esse itidem consilia, atque dicta, non facta solum, superior locus

Par-

Partitionum paulò anteà me notatus, docet. Cum ergò hæc in exornatione sigillatim exposita sint amplificanda, narrationes nudæ non erunt, ne historia mera texi videatur. e Quare ita progrediendum erit à primo ad vltimum, vt cum aliquod consilium, dictum, factumve breuiter exposueris (breuitas autem expositionis interdum quatuor, aut quinque versiculis, plerunque vno, vel duobus, non raró etiam paucioribus verbis continetur: quanquam sunt aliquando longiores narrationes) illi vnam, aut plures amplificationes adiungas: inde aliam subiungas alterius consilii, vel dicti, vel facti narrationem: deinde hanc ipsam amplifices, vt prius: atque ita deinceps ad reliquas ordine progrediaris. Quæ ratio multò iucundior erit, si longiores tum narrationes, tum amplificationes breuioribus permiscueris. Exempla sunt apud Ciceronem laudis, in oratione pro lege Manilia, quæ licet sit generis deliberatiui, ea tamen pars in qua Pompeius laudatur, est exornationis: vituperationis, in secunda Philippica, dempta refutatione in qua certum est, illum argumentari. Hæc autem planius intelligentur ex artificio harum orationum à nobis explicato. Nam longum nimis esset hoc loco singula per-

e *Vide Cic. in part. 12.*

persequi. Hic illud intelligi satis est in 2. Philippica temporum ordinem seruari: in oratione pro lege Manilia omnem laudē ad propria virtutum genera reuocari. Neque verò existimandum est plurium consiliorum, dictorum, factorum ve narrationes esse necessarias ad amplificandum: nedum omnes. Nam interdum in vna oratione vel vnius facti præclari commemoratio breuis copiosè potest exornari: vt M. Tullius in oratione pro Marcello, vnum Cæsaris clementer factum, id est, M. Marcelli restitutionem, & veniam ei datam, miris laudibus, variè amplificando extollit in confirmatione: Nam in refutatione probationibus, & argumentis vtitur. Omnia verò in explicatione artificii orationis illius ostensuri sumus. Et in oratione ad Quirites post reditum, totus est in augendo, & exornando beneficio suæ restitutionis occupatus. Et in altera parte orationis pro Archia poëta duo tātum attingit ad eius laudem, quòd & poëta sit optimus, & bene de Romana republ. meritus, & ad vtrunque multas, variasque amplificationes adhibet; quemadmodum ibi ostendimus. Ita autem amplificanda sunt omnia, vt vbique tamen mendacium fugiamus. Non enim sunt veteres imitandi Rhetores, qui res esse augendas, vel minuendas præter veritatē docue-

docuerunt: quin etiam plura tribui bona ei, qui laudetur, quam reuera habeat, voluerunt; quod faciendum Isocrates in Busiride præcepit. Ex his aliisque Rhetorum præceptis perspici posse facilè puto, quemadmodum personas laudari oporteat. Quod ad res attinet exornandas, quæ de amplificandi ratione modo dicta sunt: eadem huc debent accommodari. Nam narrationes nullæ tales incidunt, quales illæ superiores existunt. Intercurrunt quidem aliquando alterius generis, sed quæ ipsæ in amplificationibus aliter numerentur. Res appello alia quæcunque præter personas, vt res diuinæ sunt, animi bona vel mali, & alia genera bonorum, regiones, vrbes, ædificia, denique omne genus rerum, quod exornari amplificando queat. Latius enim genus hoc patere volumus, & ad suam laxitatem reuocari, non solum pertinere ad clarorum virorum laudationes, & ad improborum vituperationes. Sed siue res, siue personæ magnificentius amplificando exornentur, non modo ad honestam delectationem auditorum: sed multo magis ad vtilitatem, aut, si mauis, ad oblectationem vtilem eorum, qui audiunt, vel ad iucundam vtilitatem, vtroque in genere amplificationes quasdam principes esse, alias earum quasi famulas, & administras:

quanquam hæ non ſemper adhibentur. Principes voco eas, quæ proxime ad id, quod amplificandum eſt, admouentur, ſiue id conſilium ſit, ſiue dictum, ſiue factum, ſiue quiduis aliud. Famulas verò, & adminiſtras nomino, quæ vel principibus, vel primis etiam famulis, tū amplificandis, tum illuſtrandis apponuntur. Quæ cum plures frequenter eſſe poſſint: perſpicuum eſt quam longe, lateque vna amplificatio ſpargi queat. Exempla ſunt præclara apud M. Tullium in orationibus modo citatis: quarum illuſtris explanatio eſt ex commentariis noſtris in eas orationes petenda. Illud etiam animaduertendum eſt, cū plures primariæ amplificationes, & quaſi dominæ ad idem, vel factum, vel dictum, &c. admoueri poſſint, multò plures futuras, ſi ita res tulerit, quæ illis famulentur: cum ſingulis plures famulę poſſint comitari. Sunt autem valde illuſtres amplificationes illæ, quæ cum ſint ex comparatorum loco omnis generis ductæ, vtramq; partem habent multiplici amplificatione illuſtratam. Quod cuiuſmodi ſit ex orationibus item M. Tullii, & explanatione noſtra facilè cognoſcetur. Ex quibus, & ex his, quæ hic tradidimus exornandi præceptis, multò faciliorem laudandi rationem tyronibus futuram non dubito.

De

DE EXORDIO PAVCA.
CAP. XIV.

HISCE rebus omnibus consideratis, tractata etiam si qua inciderit, refutatione quam contrariæ rationes supra positæ in hac re literaria constituerent in ea refellendæ, tum denique id, quod primum est dicendum, postremo loco cogitandum est, quo vtendum sit exordio: id, quod actori causarum ciuilium præcipit Antonius in 2. de a Oratore. Principia verò & leniora esse debent: & non extrinsecus aliunde quærenda, sed ex ipsis visceribus quæstionis sumenda sunt, vt b ibidem tradit ille. Idcirco tota quæstione pertentata, atque perspecta: locis omnibus inuentis, atque instructis considerandum est, quo principio sit vtendum. Sic & facilè reperietur: sumetur enim ex iis rebus, quæ erunt vberrimæ, vel in argumentis, vel in his partibus, ad quas amplificandi causa, & ornandi dixi digredi sępe oportere, vel ex vtroque. Id etiam exemplo thematis propositi planum fiat. Cum enim dixerimus descriptiónes quasdam Gymnasiorum, & narrationes, atque etiam alias amplificationes, quibus qui abhorrent à literis arguerentur, inserendas: ex his omnibus, aut ex plerisque illarum, atque adeò ex præcipuis rationibus, &

a *Apud Cic. in 2. Orat. 315.*
b *2. de Ora.*

argumentis licebit exordiri: nimirũ laudandis veterum Græcorum, nec non illius gentis Indicæ, aliarumque nationum institutis, quæ cognita humanæ mentis præstantia, eam incultam, & ignorantiæ dumetis obsitam non reliquerunt. Idque amplificetur breuiter per comparationẽ, eorum reprehensione, qui animi cultu neglecto, sese totos corporibus curandis dediderunt. Quintilianus, qui eadem ferè cum Antonio de hac exordiendi ratione

c Lib. 3. c. 9. extremo. c præcipit principium quidem cogitatione, postremum esse vult: sed vt pronunciatione, sic etiam scriptione primũ. Non luserit operam qui legerit eum Fabii locum. Non abhorrent ab his ea, quæ scripsit Cicero in priori libro de Inuent. His

Sect. 25. omnibus in causa repertis, &c. quæ breuitatis causa prætermitto.

QVONAM MODO INVENTA iam, & collocata dici conueniat.

CAP. XV.

a Cic. in Orat. 50. ATQVE a in primis duabus dicẽdi partibus, ex tribus initio propositis, qualis esse orator debeat, generatim, planeque descripsimus. Sed in his partibus (etsi graues, atque magnæ sunt (minus & artis est, & laboris. Cum autem quid, & quo loco dicat, inuenerit, illud est longè maximum, videre quonam modo. Scitum

est enim quod Carneades dicere solebat, Clitomachum eadem dicere, Charmadã antem eodem etiam modo dicere. Quod si in philosophia tantum interest, quemadmodum dicas, vbi res spectatur, non verba penduntur: quid tandem in causis, quibus totis moderatur oratio? Et quoniã institui paulò cumulatius hoc munus augere, quam putaram (nam de inueniendo tantum & collocando, cum ad hoc artificium adieci animum, verba facere cogitaram) ne nunc quidem solùm de orationis modo dicam, sed etiam de actionis: ita eloquentiæ prætermissa pars nulla erit: quandoquidem de memoria nihil est hoc loco dicendum, quæ communis est multarum artium: cum præsertim de hac alibi disseratur. Quo *b* modo autem dicatur, id est, in duobus, in eloquendo & in agendo. b *Cic in Orat. 55.*

QVIBVS MODIS NVDA ATque inornata orationis tum inuentio, tum dispositio vestiri splendidè, ornariq́ue possit.

CAP. XVI.

QVI nam *a* igitur dicendi modus est melior (nam de actione post videro) quam vt latine, vt planè, vt ornatè, vt ad id quodcunque agetur, aptè congruen- a *Cic. 3. de Orat. 34.*

terque dicamus? Atque eorum quidem quæ duo prima dixi, rationem non arbitror expectari à me puri dilucidique sermonis. Neque enim conamur docere eũ dicere, qui loqui nesciat: nec sperandum qui latine non possit, hunc ornatè esse dicturum: neq; verò qui non dicat, quod intelligamus, hunc posse q admiremur, dicere. In *b* quo igitur homines exhorrescunt? quem stupefacti dicentem intuentur? in quo exclamant? cuius orationem, quasi diuinam inter humanas putant? Qui distinctè, qui explicatè, qui abundanter, qui illuminatè & rebus, & verbis dicunt, & in ipsa oratione quasi quendam numerum versumque conficiunt, id est, quod dico ornatè. Sed est quidam *c* ornatus orationis, qui ex singulis verbis est, alius qui ex continuatis coniunctisque constat. Singula *d* aut propria sunt, aut aliena. Propria vel vsitata, vel inusitata: hæc rursus aut prisca aut noua per *e* nominationem. Aliena porrò *f* ab Aristotele translata dicuntur: quorum plura sunt genera. Verba enim è suis sedibus ad alienas variis modis splendidè transferuntur: aut idem significando per *g* transgressionem: aut diuersa: atque hæc vel consentanea, vel dissentanea. Dissentanea

b Cic. 3. de orat. 50.
c Cic. 3 de orat. 147.
d Vide Cic. in Orat. 80. & 3. de Orat. sec. 147.
e Ὀνοματοποιία. Vide ad Heren. l. 4. 43.
f Cicer. in Orato. 95. Arist. &c. & 3. de Orato. 152.
g ὑπέρβατον. Cic. ad Heren. lib. 4. 45.

tanea per *h* dissimulationem: consentanea vel absolutè per *i* Denominationem, *k* Intellectionem, *l* Pronominationem, & *m* Circuitionem: vel comparate, per *n* Translationem, *o* Abusionem, & *p* Permutationem: vel vtroque modo, per *q* Transsumptionem, & *r* Superlationem. Ita fit *s* vt singulis verbis ornetur oratio, si aut vsitatum verbum sit, sed eiusmodi, quod vel sonet optime, vel rem maximè explanet: aut vetustum, quod tamen consuetudo ferre possit: aut factum vel coniunctione vel nouitate, in quo item est auribus consuetudinique parcendum: aut translatum, quod maxime tanquam stellis quibusdam notat, & illuminat orationem.

h Εἰρωνεία. *Cic. 2. de Orat. 269.* i Μετωνυμία, *Cicer. ad Heren. libr. 4. 44. Orat. 93.* k Συνεκδοχή. *Ad Herenn. lib. 4. 46.*

l Ἀντονομασία. *Ad Herenn. libr. 4. 43.* m Περίφρασις. *Ad Herenn. libr. 4. 44.* n Μεταφορά, *ad Herenn. libr. 4. 46. & 3. de Orat. 154.* o Κατάχρησις. *ad Herenn. libr. 4. 46. in Orat. 94. & 3. de Orat. 167.* p Ἀλληγορία. *ad Herenn. lib. 4. 47. Cic. in Orat. 95. & 3. de Orat. 16. 4.* q Μετάληψις. r Ὑπερβολή *ad Heren. libr. 4. 49.* s *Vide Cic. 3. de Orat. 168.*

COLLOCATA *t* autem verba habent ornatum, si aliquis concinnitatis efficiunt, quod verbis mutatis non maneat manente sententia: aut si ex *v* numero & cōnexione pedum legitima, aliquid modu-

t *Vide Cic. in Orat. 81.* v *Vide Cic. in Ora. 228*

dulationis orationi cōciliant, vt cum voluptate audiatur. Omninò *x* enim duo sunt, quæ orationem condiant, verborū numerorumque iucunditas. In verbis inest quasi materia, in numero autem expolitio. Numeros *y* aures ipsæ metiuntur; ne aut non compleas verbis, quod proposueris, aut redundes. Sic autē è permistis & confusis pedibus, & in periodis, & in membris, & in incisis tenendi sunt numeri, sic sunt inter se nectendi pedes, vt, quamuis *z* remissius quàm poëma & liberius, tota tamē oratio, oriatur, & fluat, & cadat numerosè. Ex *zz* priori autē collocatione verborum, quæ sumuntur, quasi lumina, quæ *zzz* Græci quasi aliquos gestus orationis χήματα appellant (quod idem verbum ab his etiam in sententiarum ornamenta transfertur) magnum afferunt ornatum orationi. Verba enim sic in oratione collocantur, vt eam variè conforment & illuminent, vel per adiectionem vel per detractionem, vel sine detractione, & adiectione. *a* Adiectis verbis figuratur oratio vel iisdem, vel diuersis. Diuersis multiplicatis aut per *b* interpretationem, aut per *c* disiunctionem. Iisdem variè reuocatis. Verba enim reuocantur vel nihil omninò mutata, vel cum mu-

x *Cic. in Orat. 185.*
y *Cic. in partit. 18 & in Ora. 168. & 173.*
z *Vide Cic. 3. de or. 174. & 182. & in Orato. cum al. bis, iii & 227. Numerus autē &c.*
zz *Vide Cic. 3 de Ora. 134.*
zzz *Cic. in Orat. 83.*
a *Vide Cic. in Orat. 135. 3. de Orat. 204.*

b Συνωνυμία. *ad Heren. lib 439.* c Ἄλυτον, *ad Her. li. 4. 39.*

mutatione quadam, vel vtroque modo. Non mutata redintegrantur, aut continenter, cum duplicantur partim in eadē ſententia, per *d* geminationem: partim non in eadem, per *e* reduplicationem: aut disiunctè, tum in eadem ſententia, tum in diuerſis. In diuerſis, cum aut ab eodē verbo ducitur ſæpius oratio, per *f* repetitionem: aut in idem coniicitur, per *g* conuerſionem: aut in vtrunque, per *h* complexionem. In eadem ſententia, aut cum idem verbum initio poſitum, ad extremū refertur, per *i* Epanalepſim: aut adiungitur idem iteratum in medio, quod primo: aut in extremo, quod medio reſpondeat, per *k* conduplicationem, aut aliter confusè & permiſtè, per *l* implicationem: aut plura ſemel propoſita iterando diuiduntur, per *m* regreſſionem. Commutatione figurantur verba, cum aut leuiter commutata ponuntur, per *n* traductionem: aut eiuſdem nominis caſus ſæpius commutantur, per *o* declinationem. Vtroque modo, id eſt, cum mutatione verbi, & ſine mutatione, aut cum gradatim ſurſum verſus reditur, per *p* gradationē:

E 5 aut cum

d Διπλωσις. *Vide Quintil. libr. 9 c. 3*

e Αναδίπλωσις.

f Αναφορὰ *vel* ἐπιβολὴ *ad Herē. lib. 4. 20.*

g Επιφορὰ *vel* ἀντιστροφὴ. *ad Heren. li. 4. 20.*

h Συμπλοκὴ *Ad Herē. lib 4. 21.*

i Επανάληψις. *Hanc cōprehendit auctor ad Her. conduplicatione 39.* k Συνδίπλωσις *Vide ad Her lib. 4. 39. qui plures verborum figuras hæc figura complectitur.* l Πλοκὴ. m Επάνοδος. n *Ad Heren. lib 4. 21 Vide Cicer. 3. de Orator. 205.* p Κλίμαξ, *ad Heren. libr. 4. 35.*

aut cum verba plura alternatim reuocata in plures quasi orationes progrediuntur, per q progressionem. His omnibus vnum addere licet r polysyndeton, quod particeps reuocationis eiusdem, & multiplicationis diuersorum; cum vel eædem coniunctiones, vel diuersæ frequentantur. Detractione verba conformant orationem, cum vel demptis coniunctionibus dissolutè multa dicuntur, aut verba per s articulum: aut commota, & membra per t dissolutionem: vel cum aliud quodcunque vocabulum certum, vnum aut alterum orationi detrahitur, aut in sententia expressum, Per coniunctionem, v & adiunctionem: aut non expressum, per x interruptionem. At sine adiectione & detractione verbis figuratur oratio, vel conuenientibus inter se, vel discrepantibus, vel vtroque modo. Verba conueniunt aut æqualitate, cum paria paribus referuntur, tum coniunctione inter media, per a mēbrum: tum nulla intercedente, per b Cōpar: aut similitudine quadam, vel exitu simili, tum similiter cadendo per c ὁμοιόπτωτον: tum desinēdo per d ὁμοιοτέλευτον:

Vel

q Πρόβασις Cic. 3. de Orat. 204. r Vide Cicer. in partitionibus 21. constructioque verborum, &c. s Autor ad Her. lib. 2. 27. t Διάλυτον. ad Her. lib. 4. 42. v Μεσόζευγμα, & ὑπόζευγμα. ad Her. lib. 4. 39. x Ἔκλειψις & συνεκδοχή, sed alio sensu quam tropus. Cic. 3. de Orat. 205. interruptum vocat. a Κῶλον. libr. 4. 27. Ad Heren. b Ἰσόκωλον, ad Heren. lib. 4. 28. c Similiter cadens ad Her. lib. 4. 29. d Similiter desinens ad Heren. lib. 4. 29.

vel simili ferè omni ex parte sono, per *e* annominationem. Verba discrepant, cum aut contrariis contraria referuntur, per *f* contentionem: aut corrigimus nosmetipsos, quasi reprehendentes, per *g* correctionem: aut quo in quaque re verbo vtamur, ambigimus, per *h* dubitationem. Verba tum conueniunt, tum etiam discrepant, cum aut singulis propositis adiunguntur, quæ ad singula ordine referantur, per *i* relationem: aut sic mutata conuertuntur, vt sententiæ nascantur cōtrariæ, per *k* commutationem. Atque his ferè verborum figuris ac luminibus ornabitur oratio.

SED *l* sententiarum ornamenta maiora sunt, quæ duobus primis generibus continētur, *m* Omnes enim sentētiæ, quibus orator cum dignitate & ornatu figurat orationem, aut simpliciter & sine vlla comparatione efferuntur: aut comparationē aliquam habent. Quæ sunt expertes per se cōparationis, his ita vtetur orator, vt aut æquè dicat, aut plus, aut minus. Æ-

e Παρονομασία, *ad Her. lib. 4. 30.*
f Αντίθετον *ad Heren. lib. 4. 22.*
g Επανόρθωσις, *ad Her. lib. 4. 37.*
h Απορία, *ad Her. lib. 4. 41.*
i Παλινδρόμησις *3. de Orat. 205.*
k Αντιμεταβολὴ *vel* μετάθεσις, *ad Heren. libr. 4. 40.*
l *Cicer. in Orator. 136.*
m *Tota hæc figurarum distributio ex Marco Tullio collecta est, tum in Oratione ad Brutum 155. 136. 137. 138. tum in 3. de Orat. 200. vsque ad 204. tum ex partitionibus 47. Et ex Cicerone ad Herenn. libr. quarto & ex Quintiliano libr. nono cap. 6. &c.*

que, vt nihil addi, nihil detrahi corpori orationis videatur: idque modis pluribus: vel totum quiddam ornare comprehendendo: vel ea, quæ totum consequuntur, viuis quasi coloribus depingendo, vel etiam compellando, aut quasi compellando personam, remve aliquam. Totum aliquod comprehendet, aut id circumscribendo, aut partibus eiusdem enumerandis ornatius. Circumscribet ita, cum vt transegerit aliquid, definiat, per *n* definitionem: vt rem quamque describat paucis, per *o* descriptionem. Sic dicet enumerando, vt totum diuidat in partes, per *p* diuisionem: vt aliud alii tribuens dispertiat, per *q* digestionem: vt reliquis partibus expeditis, vnam, quam intendit, relinquat, per *r* expeditionem: vt idem faciat acriter interrogando aduersarios de singulis, & responsum cuique subiiciendo, per *s* subiectionem. Res totum cōsequentes viuis coloribus depictas ita proponet, vt rem quasi geratur, subiiciat oculis, per *t* demōstrationem: vt formas rerum verbis quasi ante oculos ponat, per *v* descriptionem: vt

n Ὁρισμός. *Autor ad Her. lib. 4. 36.*

o Διαγραφή. *Definitionis genus quoddam, vt item notatio seu Etymologia.*

p Διαίρεσις. *Quæ distributio dicitur à Cicer. in Orat. ad Brut. 137. de qua loquitur aliter autor ad Her. lib. 4. 53.*

q Μερισμὸς *vel* Διανομή, *autor ad Her. lib. 4. 48.*

r Ἐκμερισμὸς *ad Her. libr. 4. 41.*

s Ὑποβολή. *ad Heren. libr. 4. 34*

t Ἐνέργεια. *ad Heren. libr. 4. 69. & Cicer. 3. de Orat. 200.*

v Ὑποτύπωσις. *Cicer. 3. de Orat. 203. Vide Quintilianum libr. 9. cap. 2.*

vt corporis alicuius formam verbis affingat, per *x* effectionem: vt sæpè vitam naturasque & mores imitetur, vel in personis, per *z* imitationem: vel sine illis, per *a* notationem: vt muta quædam eloquētia, fictasque personas inducat, vel inter se loquētes, per *b* sermocinationem: vel aliter absentibus, & mutis sermonem dando, per *c* conformationem; sic autem cōpellabit, vt interrogando vrgeat, per *d* interrogationem: vt rursus quasi ad interrogata sibi ipse respondeat: per *e* ratiocinationem: vt sæpè cum iis qui audiunt, nonnunquam etiam cū aduersario quasi deliberet: per *f* communicationem: vt addubitet quid potius, aut quomodo dicat, per *g* dubitationem: vt aliquid inexpectatum communicando subiungat, per *h* sustentationem, vt aliquid aliorum potestati & iudicio tradat, per *i* permissionē vt causæ fiducia nixus aliquid etiam non concedēdum det, per *k* concessionem: vt, liberius quid audiat, per *l* licentiam: vt obiurget aliquando, per *m* obiurgationem:

x Προσωποϒραφία. *ad Her* 4. 64.
z Ηθοποιΐα. *Cic.* 3. *de Orat.* 202.
a Γοποϒραφία. *ad Her. lib* 4. 64.
b Διαλόϒισμος. *ad Her. lib* 4. 66.
c Προσωποποιια. *Ad Her. lib.* 4 67.
d Ερώτησις. *ad Heren. lib* 4. 23.

e Αἰτολογία. *ad Heren. lib.* 4. 24 f Ανακοίνωσις. *Cic.* 3. *de Orat.* 202. g Διαπώρησις. *Quintil libr.* 9 *cap.* 2. *autor ad Heren. nullam sententia dubitationem ponit.* h Υπομονὴ καὶ παράδοξον. *Quint. lib* 9. *cap.* 2. i Επιτροπὴ. *ad Herenn. libr* 4. 40 k Συγχώρησις. *Quint, lib.* 9 *cap* 2. l Παῤῥησία. *Ad Herenn. lib* 4 49. m Επίπληξις. *Cicer.* 3. *de Orat.* 203. & *in Orat.* 138.

nem: vt execretur, per *n* execrationem: vt doleat vel indignetur, p *o* exclamationē: ab eo quod agitur auertat animos per *p* auersionem: vt rei expositæ acclamet. per *q* acclamationem: vt aliquando imperet, per *r* imperationem: vt optet interdum, per *s* optationem: vt deprecetur, per *t* deprecationem, vt supplicet per *v* obsecrationem. Atque vt formam quotidiana & vsitata splendidiorem his figuris ob Oratore conformata induit oratio: ita illustriorem sumet faciem, iis illustrata: quibus vel accrescat ipsa quodammodo, vel decrescat. Augebit corpus orationis Orator, plusq; dicet vel anticipando, vel non anticipando. Anticipando ita, vt anteoccupet quod putat opponi, per *a* anteoccupationem seu præsumptionem. Non anticipando, vt à proposito declinet aliquantulum, per *b* digressionem: vt quod dixit iteret, per *c* iterationem, vt res in oratione dispersas vnū in locum cogat, per *d* frequentationē: vt proponat quid sit dicturus, seiungatque ab eo quod dictum sit, per *e* transitionē: vt

n Κατάρα. Cic. de Ora. 203. & in Orat 138.

o Ἐκφώνησις. Vide Auctorē ad Her. 4.23.

p Ἀποστροφή. Cōprehēditur ab autore ad Her. exclamatione.

q Ἐπιφώνημα. Cōprehēditur etiā exclamatione ab eodē.

r Πρόσαξις. Cic. in par. 47. aut imperamus, &c. s Εὐχή. Ci. 3. de Ora. 203. & in Ora. 138 & in par. 47. t Δέησις. Ci. 3. de Ora. 203 & in Ora. 138. v Ἱκέτευσις. ibi. a Πρόληψις. Ci. 3. de Ora. 203. & in Ora. 137. Quint. l. 9. c. 1. b Ἔκβασις. Ci. 3. de Or. 203. c Ἀνάληψις. Ci. 3. Or. 201. d Συναθροισμός. ad He. l. 4. 53. e Μετάβασις. ad Herr. lib. 4. 36.

vt verſet ſæpè multis modis eandē & vnā rem, per *f* expolitionem: vt hæreat in eadem, commoreturque ſententia, per *g* commorationem: vt interpellatorē coerceat, per *h* interpellationē. Decreſcere videbitur, aut minus habere corpus orationis, cū ita dicet Orator, vt plus ad intelligendū ſignificet, minus tamen dicat, per *i* ſignificationē: vt aliquid reticere ſe dicat, per *k* reticentiam: vt ſermonem velut ante legitimum finem abſcindat: per *l* Præciſionem: vt aliquid relinquat ac negligat, per *m* Præteritionem: vt ſe ipſe reuocet, per *n* correctionem. ſæpè vt extenuet aliquid per *o* diminutionem. Tot modis igitur ſine comparatione, ornabit Orator ſuum opus. Cum aliqua autem comparatione cum ſenſu mentis ita exprimet, vt ſententias opponat contrarias, per *p* contentionem: vt contra ac dicat, accipi & ſentiri velit, per *q* diſſimulationem: vt addubitet quid potius, aut quomodo dicat, per dubitationem, vt res inter ſe ſimiles comparet, per *r* ſimilitudinem: vt formam cum forma conferat, per

ſ ima-

f Ἐπεξεργασία. *Ad Her. lib. 4. 55.*
g Ἐπιμονή *ad He. lib. 4 59.*
h Διακοπή. *Cic. 3. de Orat. 203. & in Ora. 138.*
i Ἔμφασις. *Ad. Her. l 4. 68.*
k Ἀποσιώπησις. *Cic. 3. de Ora. 203.*
Hāc auctor ad Her. Præciſionem vocat. l. 4. 42.

l Περιτομή. *Cic. 3. de Or. Quin. l. 9. c. 2.* m Παράλειψις. *Occupatio dicitur ab autore ad Her. l. 4. 38.* n Ἐπανόρθωσις. *Cic. 3. de Ora. 202: correctionis hoc genus præteriyt autor ad Her.* o Μείωσις. *ad Her. li 4. 51.* p Ἀντίθεσις. *Autor ad Her. lib. 4 59.* q Εἰρωνεία. *Cic. 3 de Orat. 203 & 2. de Orat. 269* r Ὁμοίωσις. *ad Her lib. 4. 0.*

s Εἰκών. ad Her. lib. 4. 63. t Παράδειγμα ad Her. lib. 4. 63.

s imaginem: vt res gestas dictasve, minores, maiores, paresve, per te exemplum denique proponat. In tāta sententiarum varietate (nam quasi syluam vides) omnis eluceat oportet eloquentiæ magnitudo. Earum verò nonnullæ cum plerisque in figuris nequaquam numerandæ videri queant: cuiusmodi illæ sunt, quę in re circumscribenda, vel partienda sunt positæ, cùm instrumenta cognoscendi quædam potius videantur: non id tamen obstat, quo minus ordinandi quoque vim habeant. Vnius v enim rei non vna est virtus. Quid sole est clarius, quo & clara & conspicua redduntur omnia? Quid sole ornatius, quod est mundi totius, præsertim cæli, ornamentum vel maximum? Definitionem quis neget, cùm per periphrasim, pro vocabulo vno, enumerationem partium totius, cùm pro toto ipso ponitur ad ornatum orationis pertinere? Comparata quoque ad probandum adhiberi quis nescit? Sed & hæc & alia omnia, de quibus ambigi possit, quatenus vel docent vel probant, alio referantur: quatenus illustrant orationem & ornant, rectè in ornamentis numerentur.

v Vide Cic. li. 3. de Orat. 176.

Hæc x sunt ferè atque horum similia, vel plura etiam esse possunt, quæ sententiis orationem, verborumque confor-

x Cic. 3. de Orat. 206.

matio-

matationibus illuminent. Quamobrem z quoniam de ornatu omni orationis, si non sunt omnes patefacti, at certè commonstrati loci: qui omnes in nostro de Oratore libro, (ex quo & has ornamentorum partitiones transtulimus) copiosè declarantur: nunc tandem quid aptũ sit, hoc est, quid maximè deceat in oratione videamus. z Cic. 3. de Orat. 208.

Quia enim illa omnia, quæ de ornatu dicta sunt, ita moderantur, vt rerum, vt personarum dignitates ferunt; ii sunt in eo genere laudandi laudis, quod ego b aptum & congruens nominem. Illud enim c perspicuum est, non omni causæ, nec auditori, neque personæ, neque tempori congruere orationis vnum genus. Itaq; d hoc loco nihil est, quod præcipi posse videatur, nisi vt figuram orationis plenioris, & tenuioris, & item illius mediocris, ad id quod agimus accommodatam deligamus. e Quot enim officia oratoris, tot sunt genera dicendi: subtile, in probando, modicum in delectando, vehemens in flectendo, in quo vno vis omnis Oratoris est. f Ornamentis iisdem vti ferè licebit, alias contentius, alias submissius, atque in re posse quod deceat facere, artis & naturæ est: scire quid quandoque deceat, prudentiæ. Ergo tenuis Orator modo sit elegans, omnibus & verborum, De Decoro. b Vide Cic. in Orat. 74. c Cic. 3 de Ora. 208. d Cic. 3. de Orat. 197 & 210. ad Her. 4. 12. e Cic. in Orat. 69. f Cic. 3. de Orat. 210 g Cic. in Orat. 81.

& sen-

& sententiarum ornamentis erit demissior: translatione fortassè crebrior, qua frequentissimè sermo omnis vtitur, non modo vrbanorum sed etiã rusticorum. *h* Verborũ figuras adhibet quidẽ hic subtilis, sed paulò parcius: & quamuis numeros non negligat, minus *i* tamen curiosè illos consectatur. in *k* mediocre genus orationis, verborum cadunt lumina omnia, multa etiam sententiarum, quæcunque scilicet aliquid leporis & venustatis habent. Graue dicendi genus, *l* grauissima quæque verba verborumque & sentẽtiarum figuras, quæ ad vehementiam faciunt, admittet. Illud quidem *m* perspicuum est, non modo partes orationis, sed etiã orationes totas, alias alia dicẽdi forma esse tractandas. Is *n* erit igitur eloquẽs, qui poterit parua submisse, modica temperate, magna grauiter dicere: quique cõgruẽtem his omnibus actionem accomdabit.

h *Cic. in Ora.* 83.
i *Cic. in Orat.* 77.
k *Cic. in Or* 95. 66
l *Ad Her lib.* 4. 12.
m *Cic in Ora.* 74.
n *Cic. in Orat.* 101

QVO GENERE VOCIS, VVLtus gestus, omnia qua ornando dicas, illustrari debeant.

CAP. XVII.

Hæc enim omnia perinde sunt, vt aguntur. Nam in voce, vultu, gestu, & omnibus quæ sunt actionis, inest quædã *b* vis à natura data: quare etiam hac imperiti,

b *Cic* 3 *de Orat.* 221.

periti, hac vulgus, hac denique barbari maximè commouentur. Verba enim neminem mouent, nisi eum qui eiusdem linguæ societate coniunctus est: sententiæque sæpè acutæ, non acutorum hominum sensus præteruolant actio, quæ præ se motum animi fert: oēs mouet: iisdem .n. omniū animi motibus concitantur, & eos eisdem notis, & in aliis agnoscunt, & in se ipsi iudicant. Rectè ergo dicitur eloquendi *c* comes actio, cùm sit *d* quasi corporis quædam eloquentia, constans è voce atque motu. Vocis mutationes totidem sunt, quot animorum: qui maximè voce commouentur. Itaque Orator vtcūque se affectum videri, & animum audiētis moueri volet, ita certum vocis admouebit sonum. De quo plura dicerem, si hoc præcipiendi tempus esset. Dicerem etiam de gestu, cum quo iunctus est vultus: qui *e* secundum vocem plurimum potest. Omnis *f* autem actio Oratori, & cum rerum & cū verborum momentis commutanda maximè est. Facit enim & dilucidam orationem, & illustrem, & probabilem, & suauem, non verbis, sed varietate vocum, motu corporis, vultu: quæ plurimum valebunt, si cum orationis genere consentient, eiusque vim ac varietatem subsequentur. Volet *g* igitur ille, qui eloquentiæ principatum petet, & contenta voce atrociter dicere, &

c *Cic. in partit. 3.*
d *Cic. in Or. 55. & in de Or. 220.*
e *Cic. in Orat. 60.*
f *Cic. in partit. 21*
g. *Cic. in Orat. 56.*

h Cic 3. de Orat. 22. ſubmiſſa leniter, & inclinata videri grauis, & inflexa miſerabilis. ſed *h* ad vocem in dicendo obtinendam, nihil eſt vtilius, quàm crebra mutatio; nihil pernitioſius, quam effuſa ſine intermiſſione contentio.

CONCLVSIO ARTIficij.

HÆc habui de componenda oratione, quæ ſcriberem: quibus cognitis quiſque vel mediocri præditus ingenio, doctrinaque leuiter imbutus, & in ſcribendo paulum modo exercitatus, breui tempore componat orationem. Sed admonēdi ſunt omnes, qui hæc exercere voluerint, ne difficultate rei tractãndæ, quæ ſe ſcribere cogitantibus; & nondum in hac palæſtra exercitatis plerunque offeret, ab inſtituto deterreantur; ſed vbi neceſſaria comparauerint ad componendum ſumpto calamo quid poſſint experiantur: Sic enim difficultas omnis in facilitatem cōuertetur. atque iis quidem multò, magis, qui aliquot menſes in eorum exercitatione conſumpſerint: quique vnius, vel plurium Ciceronis orationum artificia cognouerint, quæ ex noſtris explanationibus diſcere poterunt, cùm volent. Nec enim aliam in componendo viam eſt Cice-

Cicero ſequutus: vt facilè quiuis intelliget, qui artificia orationum eius perſpexerit, penituſque cognorit. Quare hoc noſtrum artificium erit inſtar exempli, cuiuſdam, quod ad inueſtigandum cuiuſcunque orationis artificium imitere. Nam quæſtione inuenta, & præcipuis rationibus, quæ ad eam explicandam ſunt adhibitæ, ſiue vna, ſiue plures fuerint per totam orationem diſperſæ, vna quædam ratiocinatio ex omnibus ſimul collectis conficienda eſt: Deinde ſuis locis ſingulę ratiocinationes ex ſingulis rationibus conſtituendæ, vt ſummam totius orationis oculis ſubiectam, vno aſpectu cõtueri queas: ſed ita, vt cùm ſumptiones omnes vbique non ponantur, * aſteriſco in ſumma ratiocinationum hoc modo facienda prætermiſſas ab Oratore notes. Neque verò illud prætermittendum eſt, hoc idem artificium ad alias quaſcunque ſcriptiones, magna ſaltem ex parte poſſe accommodari, ſeruatis tantum iis, quæ cuiuſcunque ſunt propria. Habent enim poëtæ & alii ſcriptores propria quędam, quæ non ſint illis cum oratoribus communia. Sed in omni oratione, quæ argumentando rem explicat, eandem ferè ſequi licebit argumentandi rationem, prætermiſſis, quod res fortaſsè non ferat amplificationum modis. Quod ſi quis

omnes locos percurrendo, vel magnam illorum partem tractare quispiam velit, ordinem à M. Tullio præscriptũ in *a* partitionibus Oratoriis in hoc sequatur, licet de historia tamen dubitari possit. veruntamen spectat *b* hæc etiam ad munus Oratoris magnamque habet cum laudatione cognationem. Etsi namque minus frequẽtes amplificationes admittit historia: narrandi tamen serie, & dicendi modo cum exornatione consentit, vt cognosci potest ex oratore ad Brutum Sect. 213. 214. Quin etiam proposita est in historia disserenti quæstio, quam explicet expositione rerum, vt docet Rodulphus *d* Agricola legendus est. Nunc illud est reliquum, vt aliquot orationum M. Tulli artificium retexendo iis quæ diximus congruenter, artificii generalis rationem comprobemus: vnde illius & cognitio planior, & vsus in componendo facilior cuique reddatur.

a Sect, 7.

b Cic. 2. de Orat. 66.

c Rodulp. 2. de inuentio. Dial. ca. 10.

d li. 2. c. 16. & lib. 3. cap. 7. & 8.

FINIS ARTIFICII COMponendæ orationis.

ARTI-

ARTIFICIVM ORATIONIS PRO ARCHIA POETA ARTIFICIOSÈ RETEXTUM.

CVm hac oratione Archias in iudicio defendatur, eam certum eſt ad iudiciale genus pertinere. Nam laudes hominis, quæ hic afferuntur ab Oratore, ad finem orationis præcipuum referuntur. Quatuor ſunt eius partes, Exordium, Narratio, Confirmatio, & Peroratio, Genus dicendi vbique temperatū, præter iudiciorum conſuetudinem: vt & ex poſteriore exordii parte, (in qua Orator id ſibi permitti petit) & ex fine Perorationis perſpicitur.

Cùm autem hæc oratio coniuncta ſit, quæſtiones in ea duæ tractantur, ambæ qualitatis: quæ ſunt huiuſmodi.

1 *An Archias ſit ciuis Romanus.*

2 *An Archias, ſi non eſſet ciuis Romanus, dignus eſſet, qui ciuitate donaretur?*

Vt ergo plenè & facilè, vel tractetur vtraque quæſtio, vel tractata intelligatur; cognoſcendæ ſunt partes eius, quēadmodum in primo artificii generalis capite p̄ſcribitur. Habenda eſt igitur hoc loco (vt aliquid

præscribitur. Habenda est igitur hoc loco (vt aliquid ad rē præsētem accommodatè dicamus) Archiæ notitia, vnde sit ortus, à quibus, vbi, & quomodo, educatus, quibus studiis operam dederit, quod genus vitæ delegerit, quid profiteatur: & si quæ sunt alia id genus subiecti quæstionis huius propria, quæ vel ex huius orationis narratione magna ex parte fiunt perspicua. Ad hæc intelligendum quid sit esse ciuem Romanum, quid Romana ciuitas, cæteraque omnia quæ ex artificii generalis præscripto ad quamuis partem attributi quæstionis cognoscendam spectant: ea præsertim, quæ ad rem, qua de agitur, perspiciendam tractandamque magis faciunt: vt qua ratione ciuitatis Romanæ ius aliquis adipiscatur. Quod idem in narratione M. Tullius attigit. Quatuor autem rationibus ex adiunctis (quæ sunt verissimæ vel certissimæ ciuis Romani notæ) priorem quęstionem probat: & Archiam ciuem esse Romanum ostendit.

1 *Quod sit ascriptus Heraclea Romanis fœderata c uitati.*
2 *Quod Roma domicilium tempore legis de ciuibus ferenda habuerit.*
3 *Quod sexaginta diebus apud Pratorem professus sit.*

4 *Quod*

4 *Quod alijs quoq; in ciuitatibus Romanorum municipijs fuerit aſcriptus.*

Ex quibus cum quæſtione copulatis vna ratiocinatio conglobata coaleſcit, priorem confirmationis partem comprehẽdens, hoc modo.

Lege Carbonis & Syllani, qui fœderatis ciuitatibus adſcripti ſunt: ſi tum cùm lex ferebatur in Italia domicilium habuerunt: ſi ſexaginta diebus apud Pratorem ſunt profeſſi: præſertim ab alijs quoque ciuitatibus Romanorum municipijs recepti: hi ciues Romani ſunt.

Sed Archias aſcriptus eſt Heraclea Romanis fœderata ciuitati: domicilium Roma tum, cùm lex illa ferretur, habuit: ſexaginta diebus profeſſus eſt apud Pratorem: & ab alijs ciuitatibus Romanorum municipijs receptus eſt.

Archias igitur ciuis Romanus eſt.

Poſteriorem verò quæſtionem, qua dicitur dignus Archias, ſi non eſſet Romanus ciuis, quem iure ciuitatis ornarent Romani, duobus præcipuè argumentis probat: quorum prius eſt ex adiũctis, poſterius à pari.

1 *Quod ſit Poeta eximius.*

2 *Quod populi Romani nomen famamq; celebrarit.*

Quanquam hæ rationes duæ, si cum altera parte quæstionis, Dignus, comparentur; efficientes causæ dignitatis videbuntur. Cæterùm ex his etiam vna ratiocinatio alteram Confirmationis partem complectens fiat, ad hunc modum.

Poëtæ insignes, & Romani nominis buccinatores, digni sunt qui Romana ciuitatis iure honorentur.

Atqui Archias & poëta eximius est, & Romani populi studiosius gloriam exornauit.

Quamobrem Archias, etiamsi non esset ciuis Romanus, meritò in gregem ciuium ascisceretur.

Sed cùm hic sint cōglobatæ ratiocinationes duæ: in cursu ratiocinationis postea tractando distinguuntur à M. Tullio: quæ hic etiam distinctæ & nudæ, perspicuitatis gratia, ponatur hoc modo:

I.

Poetæ insignes magni faciendi, ac digni sunt qui à Romanis in ciuitatem recipiantur.

Archias est poeta eximius.

Archias ergo magnifaciendus, & in ciuitatem recipiendus.

II.

Qui Poetæ Romani populi nomen celebrant, & gloriam exornant, meritò à Roma-

Romanis in numerum ciuium admitti debent.

Archias autem populi Romani gloriã & laudem studiosè celebrauit.

Archias ergo à Romanis meritò in ciuium numerum recipi debet.

Sed iam videamus, quemadmodum hæc omnia in Confirmatione, iacto narrationis fundamento. ab Oratore tractẽtur. Nam Exordii discussio, perinde vt in aliis orationibus, in extremũ locum reiicienda est, Sic enim perspicitur melius, quonam pacto ex causæ visceribus, locis in ea vberrimis, eruatur.

NARRATIO.

M Tullius in hac narratione, quæ est ipsius causæ propria, patriam Archię, studia, vitam, & peregrinationes exponit. Ex quibus eo tandem peruenit, vt ostendat, quemadmodum ciuitatis ius fuerit adeptus. Qua re in totius oratiõis cardo præcipuè vertitur. Narrationis huius initium est Sectione 4. in illis verbis, *Nam vt primum ex pueris, &c.* In qua diligenter obseruat omnia, quæ de historia narrandisque rebus præcipiuntur. Nam & ordinem temporum: variis Archiæ profectionibus exponendis conseruat: & vt quidque causa est alterius, ita illud primum constituit. Ingenium

namque & doctrina famam Archiæ peperit: fama effecit, vt à multis gentibus expeteretur, præmiisque variis donaretur. Hæc omnia Romam profectò cum Romanos ciues alios, tum vel maximè Lucullos eidem conciliauerunt. Et quoniã hæc orationis pars, vt Cicero in partitionibus docet, sedes & fundamentum est constituendæ fidei, cuiuis attentè orationem percurrẽti animaduertere, & obseruare licet semina tum argumentorũ, tum amplificationum in hac narratione dispersa: quæ in vtraque Confirmationis parte postea tractãtur. In ipso autem narrationis extremo, Sect. 7. ibi, *Data est ciuitas, &c.* Prioris ratiocinationis continetur propositio, præter quartam rationem, quæ separatim infra. Sect. 12. ponitur.

CONFIRMATIO.

Ex duplici quæstione, quam in hac oratione tractari diximus, Confirmatio hæc bipartita est. Prior pars est causæ magis propria, eaque licet breuis, tamen pręcipua; cùm eius quæstionis causa iudiciũ hoc susceptum esse constet. Posterior ad commendationem personę, posteriorem quæstionem minùs præcipuam copiosè tractans, sed priorem adiuuans, paulò lõgior est. Priorem priùs expediamus, in

qua

qua quidem partim ſua cōfirmat, partim refellit contraria.

CONFIRMATIONIS *pars prior.*

PROXIMVS ergo eiuſdem Sect:7.verbis, cùm ait, Si *nihil aliud, niſi, &c.* (quod eſt Confirmationis initium) complexio eiuſdem ratiocinationis cum aſſumptione ſummatim comprehenditur. Illud enim ſignificare vult, quicquid de iure ſibi vendicandæ ciuitatis in argumentationis propoſitione, ex Carbonis & Syllani lege dictum ſit, id Archiæ totum conuenire: ac proinde cauſam dictam, id eſt, defenſam & comprobatam eſſe. Quod perinde eſt ac ſi dicat, Archiam Romanum ciuem eſſe conſtat, Deinde vrgendo Aſſumptionem repetit. *Quid enim horum, &c.* Vt ſingulas eius partes ordine argumentis probet, Primamque illis verbis, *Heracliana, &c.* expreſſam argumento remoto probat, hoc eſt, Luculli teſtimonio, legatorumque HeracIienſium locupletiſſimo. Teſtes .n. ab adiunctis laudat, quo plus auctoritatis habeant ad probandum. Luculli etiam teſtimoniū ex diſſimilium comparatione amplificat, Deinde re probata amplificationē ingreditur

ex iis quæ dicta ſunt erutam, illis verbis, *Hic tu tabulas, &c.* Ad augendam aduerſarii ſtultitiam, aut ſtoliditatem, ex effectis diſſidentibus, contentione vel repugnantium, vel contrariorum inter ſe collatis.

Deinde verò Sect. 9. *An domicilium Romæ non habuit, &c.* Alterā aſſumptionis partem duabus rationibus confirmat; quarum altera, quæ eſt à definitione, Archiam oſtendit habuiſſe domicilium Romæ (id enim aliud eſt nihil, niſi ſedem omnium rerum ac fortunarum ſuarū collocare) altera ex adiunctis probat, tum cū lex ferretur habuiſſe, multis videlicet annis antequam ferretur illa lex. Vtrunque argumentum breui Enthymemate tractat: vt idem ſuperius de teſtimonio duplici.

Deinceps tranſit ad tertiam aſſumptionis partem, cùm ait, *At non eſt profeſſus, &c.* Probat autem fuiſſe profeſſum Archiam argumento aſſumpto, id eſt, tabularum, quibus nomina ciuium inſcribebantur, teſtimonio. Earum tabularum vim & robur oſtendit, & pondus ex cauſis efficientibus, id eſt, ex prætoribus, qui eas condiderunt. Confirmat id ex aliarum tabularum collatione diſſimili: quarum auctoritas & fides ex cauſis efficientibus hinc eleuatur, illinc extollitur, id

eſt

est, ex negligenti, diligentique custodia: ex leuitate & calamitate Gabinii: & ex sanctitate, nec non modestia Metelli: quæ per contentionem tum contrariorum, tum repugnantium inter se opponuntur. Sed & Metelli diligentia, ex effectis illustratur. Sequitur deinde eadem Sectione 10. ratiocinationis complexio, illis verbis expressa, *Quæ cùm ita sint, &c.* Cui subiungit continuò quartam rationem, quartamque Assumptionis partem. Si enim aliæ ciuitates Romanorum municipia, Archiam in numerum ciuium receperunt, & municipes erant in ciuitatem Romanam recepti: certè & Archias, cùm esset municeps. Eam rationẽ confirmat ex enumeratione partium, id est, quatuor municipiorum. Nam Rhegini, inquit, Locrenses, Epizephyrii, Neapolitani, Terentini, omnes municipes hominem receperunt. Quod comparatione minorum duplici, artificiosissime huic loco intexta, & ornatissime, vel ob ironiam. Deinde adiungit amplificationem ex comparatione minorum, probata re, ad commouendos iudicum animos, indignum esse facinus innuens, si Archias expellatur. Tractatum; est ergo quartum hoc argumentum collectione quadripartita, vti tertium, tripartita.

Deinceps verò, Sect. 11. *Sensus nostros requiris, scilicet. &c.* Sequitur breuis refutatio eius firmamēti, & rationis, qua probabat Gracchus Archiam non esse Romanum ciuem. quod non esset census. Hoc Enthymema ita refellit Cicero, vt antecedens concedat, consecutionem neget. Concedit enim Archiam non fuisse censum: atque tres huius rei causas affert: sed negat hinc effici, non esse Romanum ciuem, Quoniam, inquit, census non cōfirmat ius ciuitatis, hoc est, non facit vllū ciuem: sed signum est, ex quo cognoscitur eum, qui sit census vsum esse iure ciuitatis, etiamsi ciuis non esset. Ratiocinatio integra fuisset à Graccho adhibita, in hunc modum.

Quicunque est census, est ciuis.
Archias non est census.
Archias igitur non est ciuis.

Vel sic:

Omnis ciuis est census.
Archias non est census.
Archias ergo non est ciuis.

Proinde propositio refutanda Oratori fuit, vt ostenderet non id effici ex propositis, quod volebat Gracchus: eamque refutauit ex dissimili, eludendo consecutionem, vti diximus. Paulò verò post, cùm ait, *& testamentum &c.* Vni firmamento aduersarii tria opponit signa & argu-

argumenta ex effectis ciuis Romani propriis firmissima: cùm vnumquodque horum certo declarat, aliquem esse Romanum ciuem. Solis enim Romanis ciuibus concessum erat, testamentum iure Quiritum facere, hæreditates Romanorum ciuium adire, in legione Romana militare. Hinc sequitur totius confirmationis, nedum proximè refutationis conclusio illis verbis expressa. *Quare argumenta, si potes, &c.* Significat.n. rationes nō posse vllas à Graccho inueniri, quibus euertantur superiores, & Archias non esse ciuis Romanus ostendatur.

CONFIRMATIONIS PARS *posterior.*

PRÆCIPVA huius orationis quæstione tractata, alteram addit ex abundāti M. Tullius, ostendens Archiam magni faciendum, ac dignum qui retineatur in ciuitate, si ciuis non esset: tum quod sit Poeta eximius: tum quod sit de populo Romano, gloria eius prædicanda, benè meritus. Repetamus ergo priorē, docendi causa, ratiocinationem, qua ratio prior tractatur hoc modo.

Poëtæ insignes magni sunt faciendi, & in ciuitate retinendi.

Sect. 19. ibi. *Sit igitur, &c.*

Archias est poëta eximius:
Sect.18. *Quoties ego, &c.*
Archias ergo magnifaciendus, & in ciuitate retinendus.
Sect.18. *Hanc ego non, &c. & nos hunc viuum, &c.*

Propositionem M. Tullius hinc probat, quod poetæ sint homines docti, argumẽto è genere sumpto: vnde alia ratiocinatio conflatur huiusmodi.

Docti homines magni sunt faciendi, & in ciuitate retinendi.
Sect.12. *An tu existimes. &c.* Huius amplificationes variæ afferuntur, vsque ad sectionem 18.
Excellentes poëtæ sunt homines doctissimi.
Sect.18. *At qui sic. &c.*
Ergo insignes poëtæ magni fieri debent, & in ciuitate retineri.
Sect.19. *Sit igitur, &c.*

Hæc posterior in oratione priorem antecedit, vt videbimus: & in vtraque variis amplificationibus obuoluitur, cũ in hac parte Confirmationis non tam argumẽtetur Orator, quam exornet amplificãdo quæ dicuntur.

Ac primum quidem in Sect.12. ibi. *Quæres à nobis, &c.* Vsque ad. *An tu existimas. &c.* Breue quoddã conciliandæ beneuolentiæ renouatur exordium, significatione grati erga Archiam animi per cõparationem

tionem partium, auditorem ad sequentia præparans Æquum est enim vt qui bonis alicui præstandis suum in eum amorem declarat, ab eodē nō dispari officii genere redametur. Proximis deinde verbis. *An tu existimas, &c.* Doctos homines magni faciendos ex forma, id est, ex doctrina (quæ docti forma est, vt candor candidi, sapientia sapientis) variè amplificando exornat, satis ostendit. Nā quo magnificentius vniuersum doctrinæ ac sciētię genus exornatur, eò necessi⁹ est viros doctos excellentiores videri, maiorique in pretio haberi. Amplificationes præcipuè tres ex effectis ad eam adhibentur: quod fructus ingentes doctrina pariat: quod iucunditatem non minimā afferat: quod admirabiles eos, in quibus est, efficiat. Vnde perspicuū est eam magno in pretio habendam esse, & ciuibus amplectendam. Quatuor autē doctrinæ fructus hic enumerat: quos & aliis amplificationibus quasi administris minusve præcipuis auget: vt hinc illorum causa efficiens cernatur illustrior.

Primus est, Sectione 12. *An tu existimas. &c.* Quod materiam Oratori suppeditet, ad ea locupletanda quæ dicit, eumque contentionibus defessum reficiat ac recreet. Id amplificat exemplo suo per contentionem contrariorum: Fatetur enim se ita deditū studiis, vt sēper in-

de aliquid ad communem vtilitatē proferat; alii autem quamuis litterarum studiosi, non item. Deinde Sect. 12. ibi, *Me autem quid pudeat, &c.* Aliam subiicit amplificationem ex causis impedientibus, quas omnes remouet. nec sibi impedimento fuisse dicit, quo minus se studiis dederet. Hoc autem suum studium auget contentione dissimilium, cùm ait. *Quare quis tandem me, &c.* Alii, inquit, rebus aliis parum fructuosis aut inutilibus vacant: ego literarum studiis operam nauo. Sed hæc fit grauior & ornatior enumeratione partium, qua protasis comparationis exornatur.

Sequitur deinde alter doctrinæ fructus, Sect. 13. Vbi dicitur, *Atque hoc adeo, &c.* Incrementum eloquentiæ: quem fructū auget ex effectis, quod ea patrociniū amicis ferat. Sed vbi dicitur, *quantacunque in me est.* quibus verbis suam eloquentiam extenuat. modestiæ significatio est ad beneuolentiam aptissima. Deinde ibidem, cùm ait, *Quæ si cui leuior videtur, illa quidem, &c.* Transit à minoribus ad maiora: & fructum doctrinæ tertium subiungit, honestatis persuasionem, nihilque in ea persequēda, quamuis acerbum, recusandi. Quod amplificat primum ex effectis, exemplo suo, id est, ex iis quæ sic persuasis pro patria fortiter subiuit: quæ

augentur ex adiunctis, id est, ex multitudine & magnitudine & assiduitate periculorum,&c. Cur autem sibi hæc M. Tullius persuaserit declarat ex causis efficientibus,id est,ex rebus quæ vim habent persuadendi literis, doctrinaque & monumentis doctorum virorum comprehensis. Huiusmodi virorum illustrium exempla sunt. Numero 16 Hoc rursus illustrat, descriptione quadam exemplorum (quæ sunt fortissimorum virorum ad imitandū expressæ imagines)& ex partium enumeratione,id est,ex duobus veterum scriptorum generibus,qui præclara exempla suis in libris scripta reliquêre. Rursusque amplificat illam de imaginibus partem ex effectis. Nam recta mentis confirmatio effectus est illarum imaginum, quæ sunt formæ auulsæ,quia exemplaria.

Tandem verò nu.15. *Quaret quispiam, &c.* Transit ad quartum scientiæ doctrinæve fructum, quadam anteoccupatione locum hunc exornans. Præclarus autē hic effectus doctrinæ est, quòd valdè illustres animo & virtute homines faciat. Idque declarat & auget alterius causæ adiuuantis, id est, naturæ præsidio: quæ licet per se multum ad id, & plus quam doctrina valeat: si tamen fuerit naturæ coniuncta,insigne quiddam efficit. Deinde cum ait, Num.16. *Ex hoc esse hunc nu-*

mero,&c. Illud idem illuſtrat & auget ex enumeratione partium, id eſt, virorum aliquot illuſtriũ, qui doctrina exculti virtutem coluerunt.

Numero verò 16. *Quod ſi non hic tantus fructus, &c.* Tranſit ad ſecundã principalem doctrinæ amplificationem, quæ eſt iucunditas & delectatio. Quam continuò amplificat contentione aliorum ſtudiorum diſſimili, in cuius etiam apodoſi pro totis partes poſuit augendi cauſa & ornandi.

Deinde cum ait, *Quod ſi ipſi hæc, &c.* Tranſit ad tertiam principalem eiuſdem doctrinæ amplificationem, quod admirabiles reddat. Hanc declarat, & exaggerat comparatione minorum. Si enim Roſcius propter artem hiſtrionicam tantæ admirationi fuit: quanto magis homines docti propter literarum ſtudia? Elatio & ſummiſſio ſpectatur ex effectis diſſimilibus, qui ſunt motus corporis, & animorum motus. Sed in apodoſi concluſio totius loci huius continetur: doctos homines non eſſe negligendos, ſed magno in pretio habendos potius. Atque ſic doctrinam, literarũq; ſtudia variè cõmendauit.

Deinceps autem num. 18. cũ ait, *Quoties ego hunc, &c.* aſſumptionem è proximis duabus, priorẽ amplificat ex effectis facultatis poëticæ, ſeu poëtæ ea facultate

præditi variis, vt patet. Deinde Sect. eadẽ verbis illis, *Hũc ego non, &c.* Complexionem eiusdem argumentationis, ad personam suam artificiosè translatam inclusit.

Cum verò ibidem subiungit, *Atq; sic à summis, &c.* Assumptionem illustrat posteriorem. Ostẽdit enim poetas insignes, viros esse doctissimos, ex contentione dissimilium, id est, aliorum artificum: Dissimilitudo petitur ex causis dissimilibus, quod non tam doctrina studio quæsita (vt artifices alii) quàm natura, & dono quodam cœlesti ac diuino afflatu docti existant: quod genus doctrinæ seu scientiæ (si verum id sit) multo sane præstãtius est ac perfectius. Proxima deinde amplificat ex effectis Ennii testimonio comprobatis, cum causæ cælestis repetitione.

Sequitur ibi, *Sit igitur, &c.* Posterioris argumentationis complexio, poetas insignes magni esse faciendos. Quam rursus auget ex comparatione minorum duplici: quarum prior est, *Saxa & solitudines, &c.* Posterior, *Homerum Colophonij, &c.* Vnde & tertia amplificatio ex contentione contrariorum instituitur num. 19. ibi, *Ergo illi, &c.* Sed hæc ad commouendos animos concludendo est adhibita. Cõclusio enim hic inuoluitur, eo verbo *repudiabimus.*

bimus: in repugnantiam versa est, ornandi causa, & mouendi.

Deinceps verò Sect. eadem 19. infima. *Præsertim cum omne studium, &c.* Transit ad alteram posterioris confirmationis partis ratiocinationem, quæ est de meritis Archiæ in prædicanda Romanorum gloria, pertractandam, & exornandam: cuius Assumptionem primo loco tractat. tractaturus infra Sect. 23 &c. (vt illic ostēdemus) propositionem. Complexionem verò ponit num. 22. cum ait, *Ergo illum, &c.* Nos hunc de nostra ciuitate eiiciemus? Sed Assumptio de gloria & fama populi Romani celebrata, ratiocinatione alia, hunc ad modum, ab Oratore tractatur.

Quorum ingeniis res populi Romani bello gestæ feruntur (id est, narrantur & scribuntur) ab his populi Romani fama, (id est, laus & gloria) celebratur.

Sect. 22. *quare quorum, &c.*

Sed Archia ingenio res populi Romani bello gestæ sunt carminibus expressæ.

Num. 19. *Nam & Cimbricas, &c.*

Ergo Archias ingenium suum contulit ad gloriam populi Romani laudemq; celebrandam.

Sect. 19. *Præsertim, cum &c.*

Argumentum est ex causa efficiente, id est, ex rebus præclarè gestis, quæ populo

Ro-

Romano gloriam laudemque pepererũt. Complexio autem argumentationis prima est, quæ fuit Assumptio superioris. Assumptio non exprimitur: sed ex eius approbatione vel amplificatione, quæ cõplexioni attexta est, facilè intelligitur: Nã propositio cum ad amplificationem postrema est, Sectio 21. ibi, *Quare quorum* &cæt. Assumptionem igitur declarat & amplificat M. Tullius ex enumeratione, partium per inductionem: quod & res Cimbricas, & bellum Mithridaticum celebrarit. Vtramque partem variè amplificando exornat: priorem ex effectis. Nam tractatio rerum Cimbricarum Archiam Mario, licet ab his studiis alieniori conciliauit. Et hoc ipsum alia amplificatione illustrat ex efficiente causa illius beneuolentiæ, id est, ex cupiditate, qua omnes teneri ait, res suas literis mandandi. Idque declarat ex enumeratione partium, id est, eorum qui ea cupiditate ducerentur: vbi cupiditas rursus ostenditur ex effectis. Posteriorem dei de superioris enumerationis partem de bello Mithridiaco auget ex adiunctis ipsius belli: & assumptione repetita, qua ratione illius belli celebratione populi Romani, nomen illustretur, ostendit. Sectione deinde 22. *Quare quorũ ingenijs, &c.* Ratiocinationis propositio sequitur: quæ continuo ex enumeratione

par-

partium exornatur:id est, ex tribus doctis hominibus, qui res populi Romani gestas mandando literis, eiusdē populi gloriam famamque celebrarunt. Illa autem verba, Sect.22. *Ergò illum, qui hæc. &c.* Cōplexionem continent superioris illius argumentationis de meritis Archiæ, cui tamen amplificatio ex minorum comparatione, ad animos commouendos, inseritur. Elationis summissionisque materia tum ex proxime dictis, tum ex iis, quæ priore confirmationis parte disputata sunt, firmamentis, arripitur. *Si Rhodius, inquit, &c.* quanto magis Archias in ciuitatem recipiendus? sed hoc ornādi causa in repugnantiam vertit. Sed complexio hæc rursum alia minorum comparatione, per quandam anteoccupationis speciem ornatur. Magnus est; inquit, Latinorum fructus versuum: sed Græcorum maior. Elationem & summissionem ex locorum adiunctis petit. Ac tandem illis verbis, Sect.23. *Quare si hæ res, &c.* Amplificatur Græcorum versuum fructus ex euētis. Hinc enim fiet vt Romanorum res gestæ, & eorum de quibus scribitur, toto orbe terrarum diuulgentur: & vt alii ad pericula gloriosè subeunda incitentur.

Assumptiōe ratiocinationis ab Archiæ meritis & beneficiis ductæ amplificando exornata: deinceps 26. ad illustrandam

eius

eius ratiocinationis propositionē transit M. Tullius: quæ erat huiusmodi.

Qui poëta populi Romani laudem gloriā q; celebrant, hi sunt magni faciendi & in ciuitate retinendi.

Hanc igitur paulò post numero 27. illis verbis, *Quare in qua, &c.* expressam, nunc exornando declarat à pari: quod alii scriptores alias rerum suarum idem fecerint. Hæc enim quāuis apertè sic non ponatur: aperte tamen ex eius vel probatione vel amplificatione intelligitur. Hāc enim rationem illustrat amplificationibus duabus: prior est ex enumeratione partium, id est, trium exemplorum: posterior à causa efficiente. id est, à cupiditate gloriæ, qua dicit omnes duci, Sectio. 26. *Neque enim est hoc, &c.* Quanquam dici forte potius debet ex fine ducta, cum illi gloriam in rebus agendis propositam haberent. Sed primum exemplum est de Alexandro magno Macedonum rege: alterum de Pompeio: tertium de militibus eiusdem: qui omnes rerū scriptores à se, vel ab aliis gestarum magni fecerunt. Ex his ergò exemplis arrepta occasione, antequam ad alteram de cupiditate laudis amplificationem transeat, artificiosè ad Archiam delabitur, affirmans eum facilè impetrare potuisse ab aliquo imperatore ciuitatis ius: quod amplificando de-

do demonſtrat ex enumeratione partiũ. Nam aut à Sylla, aut à Q. Metello Pio, qui magni fuerunt imperatores, impetrare id potuiſſet. Priorem partem declarat & auget comparationibus minorum duabus: quarum altera ab Hiſpanis & Gallis ducta breuis eſt: altera de malo poëta longior & ornatior. Poſteriorem verò auget etiã à minori, cum poëtis Cordubenſibus ſemidoctis & peregrinis, Archiam doctiſſimũ & ciuem comparans. Sect. verò 26. *Neque enim, &c.* Alteram de gloriæ cupiditate rationem proponit ornatiſſimè. Nam ſimpliciter dicendum erat, omnes gloriã appetunt, etiam boni. Hinc enim intelligimus cur tot illuſtres viri tanto in pretio ſcriptores rerum gloriosè geſtarum habuerint, tantique fecerint, quia videlicet gloriæ ſtudio & cupiditate trahebantur. Atque hunc locum orator copiosè tractat & auget tribus præcipuis amplificationibus. Prima eſt ex enumeratione partiũ, ibi, Sect. 26 *Illi ipſi Philoſophi, &c.* Omnes enim duci laudis cupiditate etiã bonos inde oſtendit, quod & Philoſophi, & Decius Brutus, & Fuluius, atque adeò M. Tullius in rebus agendis laudem ſibi propoſuerint & gloriam. Nam vnaquæq; pars ex euentis, ex quibus illorum cupiditas elucet declaratur. Inſerit tamen huic enumerationi propoſitionem illam, *Qui*

poëta,

poëta &c. Quæ amplificationibus suæ probationis artificiosè interposita est vt minus ars appareat, & varietas delectet magis. Hanc tamen auxit comparatione minorum ex proximè dictis eruta solerter. Sed eius apodosis in repugnantiam versa est. Nam alioqui simpliciter cõcludendo erat, Quare, qui poëtæ populi Romani laudem gloriamque celebrant, hi sunt à vobis honorandi, atque conseruãdi. Sectio. verò, 28. ibi, *Nulla enim virtus &c.* Amplificationem de gloriæ studio superioribus Sect. expressam aliis verbis repetit, (virtute præditi, inquit, gloriam desiderant) eamque rursus auget & illustrat ex effectis, quæ destinata dicuntur, id est, ex laboribus & actionibus, quæ suspiciebantur ab antiquis illis ad gloriam assequendam: ad quam labores, pericula, & vitæ amissionem referebant: sed & animum corporis vinculis solutum ea delectari arbitrabantur. Cum verò ait 29. *Nunc insidet, &c.* Eandem amplificationem alia dicendi forma inculcat, & iisdẽ destinatis alio modo expressis auget, cum ait, 30. *An verè, &c.* Per expolitionem idẽ dicens, cum aliud atque aliud dicere videatur. Ac tandem 28. & 29. Tertia ponitur princeps amplificatio ex tribus paulò ante propositis, ex comparatione minorũ, & Ciceronis ipsius exemplo cumulata illustra-

lustratur. Hoc enim etiam declarant, ipsius iudicio, omnes gloriæ quodam studio & cupiditate duci.

PERORATIO.

Sectione autem 31. In illis verbis. *Quare conseruate, Iudices, &c.* Vsque ad finẽ, Peroratio est totius orationis: quæ præter complexionem principalem, enumerationem continet præcipuarum rerum, siue sententiarum, quæ in vtraque parte confirmationis vel probandi, vel amplificandi causa dispersæ sunt; vt patet. Quãquam eæ sententiæ, quæ de posteriore parte repetuntur, ad beneuolentiam maxime, & animos iudicum ad misericordiã adducendos spectant. Ad extremum, illis verbis, 32. *Quæ de causa, &c.* Conclusio Perorationis vtrique illius parti respondens continetur.

EXORDIVM.

Primo dictum postremo loco discutiendum restat exordium. Sic enim & vnde, & quomodo ductum sit, & quo potissimum spectet, planius intelligetur. Hæc enim semper in quouis enucleando principio despicienda sunt. Cum igitur ex causæ visceribus, & partibus orationis vel ad probandum, vel ad amplificandum fœcundioribus, vt aptissimum sit, erui

debeat

debeat omne principium: & causa quæ hic tractatur hæc sit, an Archias sit ciuis Romanus, aut, si non esset, fieri deberet: quæ ducuntur ab illius persona. id est, vel ex effectis, quod M. Tullii studia eloquẽtiamque iuuerit; vel ex adiunctis, quod sit poeta summus, quod vir eruditissimus: liquet ex causæ visceribus hæc erui: cum vno Archiæ vocabulo includantur. Sed & alia, quæ tum ex Oratoris, tum ex auditorum personis sumpta sunt, ad idem, quoad fieri potest, accommodantur. Omnia porro ex parte orationis vberiore, quę est pars Confirmationis posterior, sumpta esse cõstat Quod planum cuiuis fecero, si quomodo ducta inde sint, ostendero. Nam ex ea parte, in qua doctrinam literasq; commẽdat, à Sect. 12. *An tu existimas &c.* Vsq; ad 17. *Quod si hæc, &c* Prioris partis exordii (in qua opem an Archię ferendam affirmat) ductæ sunt sententiæ. Ex ea verò parte, in qua Archiæ poesim, poetasq; effert laudibus à Sect. 18. *Quoties ego hunc Archiam, &c.* ad 22. Posterior eiusdẽ exordii pars trahitur: in qua nimirũ dicẽdi nouum genus in iudicio sibi permittẽdum ait. Ac prima quidẽ periodus ita paucis exprimi potest: Ego eloquẽtia mea debeo Archiã defẽdere, ac tueri. Sed multò hãc ornatius expressit, vel vt in orbe inclusa numerosè flueret oratio, vel

vt plura ex iis, quæ infra copiosius dispu-tantur, primis quasi principii labris deli-bata ostenderet. Nam pro eloquentia tres eloquentiæ conficientes causas expressit: ingenium seu naturam, exercitationem & rationem, id est, artem, quam auget ex causa procreante, id est, ab artium doctri-na, cui semper deditus fuerit. Ac naturæ quidem & artis ac doctrinæ mentio fit. Sect. 15. *Ego multos homines, &c.* Doctrinæ porrò bonarumque disciplinarum Sect. 12. *An tu existimas, &c.* Vsque ad 15. Vnde hęc delibata quis non videt: Quod autem suam extenuat eloquentiam, & id Sect. 13. tactum est, cum dicitur *quæ quantacunque in me est.* Quod autem nullum ætatis tē-pus abhorruisse à studiis confirmat, id quoque Sect. 12. *Me autem, &c.* & 13. *Quare quis, &c.* Quasi furtim acceptum li-quet. Quod autem specie quadam Dige-stionis vsus sit, singulis eloquentiæ cau-sis, quod cuique congrueret, aptissime tribuens, & alia huiusmodi ornamenta, quæ magis ad elocutionem pertinent, prudens prætereo: cum ea quæ sunt elo-cutionis, vt dictum est, non sit animus in præsens persequi. Sect. ergò 1. cùm ait, *Nā quoad longissime.* Rem propositam illu-strat amplificando à pari. Nam semper Archias; inquit, sua poësi aut poëtica fa-cultate eloquentiam meam iuuit. Sed

quam

quam ornatè hanc expresserit vides. Ea verò ex illis Sect.12.verbis, *Quæ res à nobis, &c.* petita est. Cum verò ait, Sect. 1. *Quod si hæc vox, &c.* Eandem rem propositam alia amplificatione auget ex minorum comparatione: Nam si Ciceronis eloquentia Archiæ formata studio aliis profuit, quantò magis illis prodesse debet? & hæc particula ex illis Sect. 13 verbis, *Atq; hoc adeo &c.* collecta est. Subiungit deinceps amplificationem aliam à genere, id est, ab arte, qua illam à pari splendidè illustrat. Ostendit enim eloquendi facultatem à poetica ideò iuuari, quod hæc sit ars ad humanitatem pertinens, vt illa: Omnes autem eiusmodi artes ita cohærere inter se, vt altera alteri⁹ ope indigeat. Sed obserua quemadmodum in hanc per anteoccupationem ingrediens, locũ hũc totum exornarit. Sed & posteriorem Exordii partem eodem exornationis genere tractauit. Primum namq; cur nouo in iudiciis dicendi genere vtendum non sit, rationes varias ex repugnantibus occupat amplificãdo: deinde sibi nihilominus id permittendum amplificationibus aliis, quæ personarum ferè adiuncta sunt, sed causæ tamen ita dicendi, declarant splendidissimè. Atque sic ex causæ visceribus, partibusque orationis vberioribus deductum fuisse vides exordium. Refer-

tur autem præcipuè ad beneuolentiam Archiæ conciliandam, amoremque in iudicum animis excitandum. Nam quæ ducuntur à persona Oratoris significationem habent grati in Archiam animi: quæ ab Archiæ, animi plane benefici, & liberalis, nec non doctrina & eruditione instructi: quæ ab auditorū, variarum virtutum, singularisque doctrinæ significationes dant. Quæ omnia vim conciliandi amoris habere nemo nescit. Sed cum ait se de summo poêta dicturum, rei magnitudine proposita attentionem excitat. Et in extrema totius Exordii clausula, vbi vtramque orationis quæstionem in ea tractandam proponit, dociles maximè reddit auditores.

ARTIFICIVM TERTIAE ORATIONIS IN CATILINAM ARTICIOSE RETEXTUM.

DOCET Populum Rom. M. Tull. hac tertia oratione, à quibus & quemadmodum deprehensa, & patefacta coniuratio fuerit pluribus verbis, augetque & amplificat huius benefi-

cii

cii magnitudinem. Cum igitur hic noua quædam & optata narret, eaque verbis amplificet & exornet, perſpicuũ eſt orationem hanc eſſe ab omni contentione remotam vel iudicii vel deliberationis, & exornatione contineri. Propterea in hac etiam genere dicendi vtitur temperato, & mediocri, non vehemẽti illo quidem, ſed ſuaui tamen & iucundo. Quamquam in narrando interdum limatum ac tenue dicẽdi genus arripit. Sed illud magis proprium eſt exornationis.

Queſtio autem huius orationis, ad quã ſpectant omnia quę hic dicuntur, hæc eſt: *An hic dies ſit Romanis ſolennis habendus, aut celebrandus?*

AD cuius quæſtionis cognitionẽ ſunt partes eius cognoſcendæ, vt ſupra diximus. Dies autẽ, cuius hic fit mentio, haud dubiè is eſt, quo M. Tullius hanc habuit orationem: quoque patefacta plene, & expreſſa Catilinæ coniuratio eſt. Itaque vt illius diei plena habeatur cognitio, totius coniurationis, & coniuratorum ipſorum, rerumque omnium vel ab ipſis, vel à conſule, & à ſenatu, cæteriſque bonis viris eo tempore geſtarum cognitio habeatur neceſſe eſt. Sed & reliquæ quæſtionis voces perſpiciendæ, Romani qui tum eſſent: quod ex hiſtoria diſcendum. Quid ſit ſolennem habere diem, aut cele-

brare. Quod M. ipſe Tullius in hac oratione pluribus modis explicat. Primum Sect.22. Honores iuſtos diis immortalibus habere. Deinde in principio Perorationis, Sect.26 Memoriam eius diei ſempiternam conſeruare. Denique frequenti concurſu quotannis eo die diis immortalibus gratias agere: aut cum gratiarũ actione eum diem quotannis recolere. His enim in omnib' cognatis, cur, & quomodo hic omnia dicantur, & vnde omnia ſumantur, multò facilius intelliges. Nulla. n. ferè quæſtionis pars eſt, ex qua nõ aliqua eruatur amplificatio, vt in progreſſu videbimus. Etſi autem in hoc genere orationis non tam probationes, quàm amplificationes dominantur: euitandum tamen eſt, vt omnia rationibus inuentis, quæ in amplificationibus latent, vna ratiocinatione, ſi poſſis, comprehendas, vel certè pluribus, ſi vna non queas, Vno mihi argumento quæſtionem propoſitam M. Tullius explicare videtur, & ſolennem hunc Romanis habendum, celebrãdumve diem comprobare.

Quia dies hic Romanis omnibus, toti Reip. ſalutaris eſt. Siue, quod idem eſt, Quia hoc die Romani conſeruati, totaq; Reſp. ab interitu vindicata eſt.

Ratio hæc adiunctum eſt ſubiectæ partis, id eſt, dici, cui hoc accidit tanquam pro-

proprium, vt esse Reip. salutaris. Quanquã eadem ratio cũ attributæ partis parte comparata, causa illius efficiens est. Nam accepta salus causa est solennitatis, & celebrationis. Sed ex hac ratione cum quæstione copulata, ratiocinatio, quæ totam orationem in hunc modum conficit.

Dies Romanis, totiq; Reipub. salutares, sunt ab illis celebrandi.

Sed hic dies est Romanis reiq; toti publicæ salutaris.

Ergò dies hodiernus à Romanis est celebrandus.

Propositio huius argumẽtationis amplificata cernitur: & infra Sect. 22. repetitur, vt illic dicemus. Assumptio tota Cõfirmatione illustratur, & augetur, ex magnitudine beneficii accepti, id est, patefactæ, & oppressæ coniurationis. Complexio semel in cursu orationis posita est, Sect. 23. *Quamobrem Quirites, &c* Quæ in princio perorationis variato dicendi modo repetitur. Cumque tres tantum sint huius orationis partes, Exordiũ, Confirmatio, & Peroratio: pro more nostro primã omniũ Confirmationẽ expediamus.

CONFIRMATIO.

NVMERO itaque 3. *Principio vt Catilina, &c.* Initium est Confirmationis. Sed ea nullas ferè habet argumentationes,

nisi eo modo, quem in artificio generali exposuimus. Conficitur enim narrandis iis quę gesta sunt & amplificandis, vt scripsit de exornatione Cicero in partitionibus. Prima est igitur longa, sed suauitatis & iucunditatis plena narratio: qua docetur populus ea, quæ scire cupiebat. Narratio verò, vt solet, ex causis & euentis tota contexitur. Adiuncta explicantur interdum, dum non solum quid gestum sit aperit, sed etiam quomodo. Ita diligenter seruauit, quæ præcepit ipse de historia lib. 2. de Orat. Sectio. 62. Et quoniam causarũ explicatio narrationem valde probabilẽ reddit. M. Tullius ante omnia causas diligenter exponit, à quibus coniuratio tota fuit deprehensa. Præcipua causa extitit ipse: qui sua diligentia coniuratorum consilia explorauit. Causæ adiuuantes duo prætores, & eorum comitatus, causæ præsidium afferentes, opportunitas temporis, atque loci, & arma. Sed illud considerandum est, quam modestè de sua vigilantia & officio in Rempubl. verba faciat: & ea officii prędicatio, quantam vim habeat ad conciliandam populi beneuolentiam. Cum verò ait. Numero 3. *Quemadmodum in tantis, &c.* Finem explicat vigilantiæ & prouidentiæ: quem subiecta ratione diligentius & accuratius exponit, cum ait. *Nam tum cum ex vr-*

be,

be, &cat. Quæ causas efficientes continet illarum insidiarum Catilinam & socios, improbos homines, & coniuratos: à quibus Respubl. si salua & libera fuisset, ab occultis etiam insidiis libera fuisset. Proxime verò sequentibus verbis, Sect. 4. *Atque ego, &cat.* Noua vigilantia cum suo fine exprimitur. Finis porrò erat, medius quidem, cognitio certa coniurationis: vltimus autem, salus ciuium, vt supra. Sect. verò 4. *Itaque vt comperi, &cat.* Effectus est illius vigilantiæ & prouidentiæ, videlicet consilia coniuratorum explorata. Et ibidem paulò infra, Sectione 5. *Itaque hesterno die, &c.* Euentus est à superiore euentu profectus. Nam ille cum sit effectus vigilantiæ: causa tamen est huius euentus. At Sectio. 6. *Interim tertia ferè, &c.* Expositio omni apparatu, qui rem antecedit in commemoratione causarum, cætera adiuncta negotii persequitur, quæ in ipsa gestione acciderunt. Et paucis interiectis, cum ait, *Literæ quæcunque erant, &c.* Reliqua adiuncta persequitur, quæ negotii gestionem consecuta sunt. Sunt autem hæc omnia effecta earum causarum, quas exposuit. Et Sect. 8. *Atq; interea, &c.* Signa exponit cōiurationis factæ, quæ apud Cethegum deprehensa fuerāt: ea verò signa pertinent ad adiuncta, quæ rem antecedunt, videlicet ad apparatum

cædis. Et deinceps ibid. Cum ait, *Introduxi Vulturcium, &c.* Narrat teſtimonia, quibus coniuratio conuicta eſt. Ea partim poſita ſunt in Vulturcii, & Legatorũ dictis: partim in literis datis à coniuratis, partim in ipſa coniuratorum confeſſione Sectio autem 13. *Ac mihi quidem Quirites, &c.* Breuiter colligit argumenta cõiurationis, quæ in ſuperiore narrationis parte diſperſa latent, nimirum teſtimonia: & alia illis adiungit ex effectis: quæ quoniam quid factum ſit indicant: ſigna & quaſi veſtigia facti nominantur à Cicerone. Et non multò poſt, *Indicijs expoſitis, &c.* Pergit aperire reliqua, quæ euenerunt: quid videlicet decreuerit Senatus Sect. 15. *Atq; ea lenitate, &c.* Ne atrocius æquo & regie decretum fuiſſe videretur in ciues Romanos, breuiter M. Tullius demonſtrat, & commendat ſenatus mãſuetudinem in decernendo, ad populi beneuolentiam ſenatui vniuerſo & ſibi cõciliandam. Et non multis interiectis, vbi dicitur. *Quæ ſupplicatio, ſi cũ cæteris, &c.* Narrationi breuem admiſcet comparationem ex minori. Nam ſi illæ ſupplicationes ob rempubl. benè geſtam decretæ, maximum Imperatoribus attulerunt ornamentum: quantus erat honos in hac ſupplicatione decreta ob remp. conſeruatam. Et eadem Sect. 15. in illis verbis. *At*

quæ

qua religio, &c. Comparatio ex maiori latet graues ad commendandam senatus & consulis moderationem: Nam si Marius non reprehendebatur, qui prætorem necarat Glauciam: multo minus reprehēdendus erat senatus & consul, qui Lentulum iam priuatim tradiderat in custodiā.

At Sect. 10. Narratione confecta, & iucundo rerū euentu exposito, consequens commodum subiungit, nimirum extinctam esse coniurationem, illis verbis. *Nūc quoniam Quirites, &c.* Simulque breui cohortatione confirmans populi animū, aditum sibi munit ad sequentes amplificationes: quibus id beneficium comprehensionis coniuratorum, nec non patefactæ & extinctæ coniurationis (vnde salus reipubl. constitit) copiosè ornat & amplificat. Ac prima quidem amplificatio, cuius initium est, *Quem quidem ego, &c.* Finis verò sectio. 7. in verbo, *liberassemus* sumpta ex causis, id est, ex prouidentia ac diligentia consulis commendationem & exornationem habet ipsius prouidentiæ seu prudentiæ consularis: qua, eiecto Catilina, effectum est, vt coniuratis comprehensis coniuratio illustraretur, & perditorum hominum vires conciderent. Prudentia enim consulis hinc cernitur, quòd prouideret hæc euentura, si Catilina eiectus esset; ac proinde curauit vt egrederetur.

1. Amplificatio principalis, quæ alijs minoribus & administris illustratur.

tur. Porrò ad hanc prudentiam exornandam plures adhibet amplificationes, quæ faciunt, vt ipsa beneficii amplificatio ex causis (quæ est ipsa prudentia) maior, atque hinc etiam ipsum beneficium maius esse videatur. Prima igitur amplificatio prudentiæ consularis, ex dissimilitudine, illis verbis expressa est Sectio. 16. *Non mihi esse P. Lentuli, &c.* Non Lentulus, inquit, tardus & somniculosus; neque Cassius præpinguis, neque Cethegus furiosus mihi erat pertimescendus: sed Catilina vnus, quem eieci, vehementer timendus erat. In adiunctis Protaseos, eius illustratio latet: antapodosim deinceps amplificando illustrat, cum ait. *Omnia norat, &c.* Ex adiunctis enim Catilinæ (quæ eadem causæ sunt conficientes metus) demonstrat eum formidabilem fuisse, quod conscius esset omnium, quod paratus, quod callidus, quod audax, quod in scelere vigilans, vt ipse paulò post exponit. Quanquam illa (*Nihil erat quod non ipse obiret, occurreret, adoraret*) deprompta videntur ex effectis. Et infra 17. cũ ait, *Hunc ego hominem, &c.* Alia est amplificatio consularis prudentiæ, ex effectis, id est, ex Catilina principe coniurationis eiecto: quæ quidem maior & grauior efficitur adiunctis Catilinæ frequentatis, siue conglobatis. Ex quo perspicitur quan-

tum

cum beneficium patefactæ & extinctæ coniurationis existimari debeat, cum tāta prudentia in ea re fuerit vtendum. Eiectio igitur Catilinæ consularis prudentię fuit euentus, & causa illustratæ coniurationis, vt satis apertè illa verba declarant. Sectio. 17. *Nisi ex domesticis, &c.* Sed vtrūque & deprehensio coniurationis, & eiectio Catilinæ, prudentiæ consularis effectus extiterunt. Paucis verò interiectis, vbi dicitur, *Non ille vobis Saturnalia, &c.* Alia amplificatio est ex euentis aliis exactionis Catilinæ. Hæc enim acciderunt omnia, quia eiectus est. Sed huic illigat aliam amplificationem quæ speciem quādam comparationis minorum habet cū ait, *Vt nullum in priuata, &c.* Rursus Sect. eadem. *Quod si Catilina in vrbe ad hanc, &c.* Est amplificatio ex repugnantibus eiectionis. i. ex remansione quæ suis euētis illustratur & augetur. Eiectio enim cū sua illustratione paulò ante exposita est.

2. Amplificatio principalis, à cōsilio, & prouidētia deorū, qua paulò post aliis amplificationibus ornatur.

Sectione porrò 18. illis verbis *Quanquā hæc omnia, Quirites, &c.* Quam sibi laudē tribuere videbatur reipubl. conseruatæ, eā transfert totam ad Deos: quorum se ministrum quendam tantum vult existimari. Est autem hæc secunda principalis amplificatio ex causis. Non possunt enim non videri magna, quæ nutu & consilio deorum fiunt. Deprehensam

autem fuisse coniurationem & extinctã deorum auxilio deinceps argumentis probat, cum ait, *Idq; cum coniectura, &c.* Nam in exornatione etiamsi probationes esse non soleant, vt Cicero in Partitionibus ostendit: aliquando tamen, licet rarò, admisceri suo loco diximus, vel certè interdum species inest quædam probationum, vt Quintil. admonet in lib. 3. cap. de genere demonstratiuo. Itaque M. Tull. duabus coniecturis quasi confirmare videtur à diis omnia fuisse gubernata. Argumentum prius, ex adiunctis depromptum est, videlicet ex eorum magnitudine, quæ fuerant gesta. Posterius ex testimoniis diuinis, nimirum ex portentis, quæ variis temporibus acciderunt & Aruspicum responsis. Et certè in exornatione adhibenda esse monstra, prodigia, oracula, & cætera, quæ diuinitus accidisse videantur, scripsit Cicerò in Partitionibus: habere enim omnia quæ noua sint & inopinata, magnam in audiendo voluptatem. Sectio. autem 21. *Hic Quis potest esse Quirites, &c.* Ornandi amplificationem illam secundam principalem M. Tull. de consilio & prouidentia deorum: ex effectis grauiter & copiosè tractat, varieque amplificat. Nam ex iis quæ euenerant, ostendit prouidentia deorum omnes res humanas gubernari. Quatuor

verò euentus gradatim enumerantur, vbi oratio à minoribus aſcendit ad maiora, & ea quæ plus admirationis habent. Sed duo primi ad Aruſpicum reſponſa: duo poſtremi ad ipſas res geſtas pertinẽt. Atque in ſingulis quidem euentis explicandis diligentiſſimè colligit adiuncta omnia, quo vim habeant maiorem. Veruntamen Sectione 22. *Quo etiam maiore ſunt iſti odio, &c.* Interponitur grauior ex comparatione partium amplificatio: qua M. Tullius conuertit orationem ad excitandum odium in coniuratos, augendo illorum crimine; & quidem aptiſſimè: nam quo maior diis habenda erat gratia, quorum nutu tantæ res geſtæ fuiſſent, eo ſceleratiores videri neceſſe erat, qui deorum templa fuiſſent incendere conati. Scelus autem coniuratorum in apodoſi augetur ex effectis variis, in quibus latet minorum comparatio, cũ dicitur, *qui non ſolum &c.* Si enim ſcelerati ſunt qui ciuium ſuorũ domicilia incendere conantur: quantò ſceleratiores, qui templa Deorum? Vltimo autem eiuſdem Sectionis verſiculo, *Quibus ego, ſi me reſtitiſſe dicam, &c.* Subiicitur alia pr ouidentiæ diuinæ amplificatio ex contentione diſſimili cauſarum adiuuantium. Suam enim in opprimenda coniuratione prudentiam, ita cum diuina pro-

uidentia confert: vt quamuis non minimam ipse operam in ea re collocarit, causam tamē principem, absolutam causam dicat. Ne quid enim arrogantiæ videretur beneficii tanti in remp. collati prædicatio, deos ait fuisse duces & autores omnium rerum gerendarum: quæque gesserit ipse, illorum ductu & auspiciis gessisse. Quo illud etiam assequitur, vt quæ gesta sunt, maiora & augustiora videantur, cum fuerint omnia diis ducibus administrata. Ibidem verò. *Iam vero illa Allobrogum, &c.* Eandem prouidentiam ex euentis amplificando exornat. Sequuntur autem duo postremi euentus, qui ad mirabilem rerum gestarum ordinem sunt referendi: ex quorum incredibili magnitudine, & earum rerum autores fuisse dii immortales intelliguntur, & quanta fuerit eorundem prouidentia in Romanos ostenditur. Postremus euentus illis verbis expressus est Sectione 23. *Quid verò vt homines Galli, &c.* Sectione eadem, *Quamobrem, Quirites, &cat.* Complexio est principalis ratiocinationis, qua hanc orationem comprehendi diximus. Ergò hic dies à Romanis est celebrandus.

3. Principalis amplificatio quæ eadē aliis exornatur & augetur.

Commode autem hoc loco complexionem posuit, vt ei propositionem principalis ratiocinationis adiungeret: vnde

ad tertiam principalem Assumptionis, beneficiique accepti amplificationem transiret. Sectione ergò eadem 23. Illis verbis, *Nam multi sæpe honores, & cæt.* Illa propositio continetur, sed consulto ad præteritum tempus traducta, vt inde per comparationem minorum, conclusio inferatur: multi dies, inquit, Romanis salutares celebrati sunt ab illis: quanto ergò magis hodiernus, quo ex faucibus coniuratorum erepti, salui & incolumes euaserunt? Nam celebrare diem, vt supra tetigimus, est honorem diis immortalibus, ob acceptum aliquod beneficium, habere. Ac propositio quidem, vel quia fuit iam in exordio illustrata, hoc modo hic breuiter attingitur. Sequitur ergò in proximis verbis. *Erepti enim, &c.* Cum Assumptione beneficium acceptum includente tertia principalis eius amplificatio ex adiunctis, ex modo videlicet, quo fuerat respublica liberata. Hanc porrò amplificationem alia amplissima continuò illustrat Sectione vigesima quarta, ibi, *Etenim, & cætera.* Ex contentione dissimilium dissensionum, quæ sine sanguine, &cæt. Extincta non sint: cum in hac secus acciderit. Sed hæc dissimilitudo comparationem quoque minorum inclusam habet, qua mirabiliter augetur modus

ille

ille extinctæ coniurationis, & beneficii magnitudo. Si enim discordiæ ciuiles aliæ, & bella inde nata, cum ad leuem reipublicæ commutationem pertinerent, internecione tamen ciuium terminata sunt: quanto magis hæc discordia coniurationis, quæ ad exitium reipublicæ spectabat, sic terminari debere videbatur: quæ tamen summo otio & silentio extincta est sine interitu cuiusquam? Elatio & Immissio petitur ex effectis & adiunctis dissensionum superiorum & huius coniurationis. Illæ rempublicam leuiter commutabant: hæc rempublicam penitus euersura erat. Hæc effecta sunt. In modo autem rerum gestarum adiuncta cernuntur. Sed ipsis dissensionibus exponendis Sect. 24. cùm ait, *L. Sylla. P. Sulpitium, &c.* Quod in genere dixerat de bellis dissensionibusve ciuilibus initio protaseos, id explicat ex enumeratione quinque exemplorum, quæ ad protasim comparationis illustrandam adhibentur. Et Sectione 25. *Quale bellum, &c.* Vsque ad illa verba, *ita me gessi, &c.* Interseritur amplificatio vehementior, qua augetur coniurationis atrocitas, ad concitandum in coniuratos odium. Ea sumpta est ex comparatione minorum: qua bellum coniuratorum cum barbarorum bello vt nimis crudeli confertur:

& ex

& ex causa efficiente, hoc est, ex lege à Lentulo & ab aliis coniuratis constituta, quæ tantam afferebat crudelitatem.

PERORATIO.

DENIQVE Sect. 26. *Quibus pro tantis rebus. &c.* Extrema conclusio est totius orationis, quæ verbis & sententiis incredibili quodam sensu tractatur ad ciuium beneuolentiam conciliandam. Ostendit enim cætera se monumenta contemnere, sola populi memoria esse contentum. Et quasi prospiciens quæ postea acciderunt, modesta beneficii commemoratione, suam salutem populo commendat: & pollicetur se talem futurum priuatum, qualis fuerit in consulatu. Ad extremum populum hortatur ad venerandum Iouem, & ad vrbis custodiam, promittitque saluti reipublicæ se non defuturum. Id autem dicendi genus in his causis plurimum valere in 2. de Orat. Sectio. 183. 184. 185. Scripsit M. Tullius in quibus non liceat animos hominum vehementius commouere. Prima pars perorationis primis verbis expressa, *Quibus pro tantis. &c.* principalis ratiocinationis complexionem continet. *Quamobrem conseruare huius diei memoriam sempiterna.* Sed hanc variis modis ornat & auget.

Primum

Primum enim, vt hoc, quod elocutionis est proprium, quasi præteriens dicam, proximis verbis, *In animis ego vestris, &c.* Per expolitionem verborum idem repetit, cum tamen aliud dicere videatur. Deinde complexionem amplificat à dissimili, cum ait, *Nihil me mutum, &c.* Non magistratus, inquit, nec triumphi, nec statuæ, quæ mutuæ res sunt; sed memoria vestra sempiterna delectat. Vbi interim beneuolentiam quoque sibi conciliat, significatione animi liberalis & magni, honores & res externas contemnentis. Et paulò post, vbi dicitur, *Vneq́; tempore, &c.* Alia est eiusdem complexionis amplificatio à pari. Infima autem Sectione 27. *Sed quoniam earum, &c.* Secunda pars est Perorationis: quæ beneficio modeste commemorando, salutis commendationem continet. Ac principio quidem proponit sententiam suam, eamque dissimili exornat: dissimilis est, inquit, mea & aliorum victorum conditio. Suam porrò salutem debere populo Romano esse curæ ostendit, primum ex parium comparatione duplici: cæteris recta sua facta prosunt: mea ergò mihi non debent obesse. Altera comparatio est, prouidi, ne coniurati vobis nocerent: ergò illi ne mihi noceant, debetis prouidere. Sed continuò dictum corrigit, vt aduer-

farii deterreantur, neve maiores animos illi sumant, &, quod consulem timidum ex his coniicerent, ad facinus audaciores redderentur. Quæstio igitur est, an coniurati possint M. Tullio nocere? probat non posse, ex caussis adiuuãtibus, id est, ex præsidiis, quibus sit defendendus, quæ quatuor enumerat: præsidium populi & Senatus, in republica (nam per magnam dignitatem intelligit senatoriam, nisi quis ad ipsum Ciceronem id referre malit, & intelligat consulatum) vim conscientiæ, in aduersariis: fortem animum in seipso: singulis autem propria accommodat per quandam Digestionis speciem. Atque in quarto loco fortem se, non timidum, apertè declarat. Cumque commendationem salutis suæ comparationibus parium ad æquitatem petitionis demonstrandam amplificauerit: deinceps ex fine, id est, ab vtili declarat, idem, cum ait, *Quod si omnes impetus, &c.* Significat enim non tam sua interesse, quã populi Romani propulsari à se impetus improborum. Nam ipse si opprimeretur, satis tamen magnam gloriam adeptus fuisse videbatur: & populus defensoribus careret. Nam cum homines viderent hanc reipubl. conseruatoribus conditionem esse proposi-

tam,

tam, vt ipsis postea moriendum esset, fierent ad rempublicam defendendam tardiores. Hoc quantam vim habeat ad animos multitudinis, tractandos res ipsa declarat. Porrò 29. *Vos Quirites, &c.* tertia & vltima pars est Perorationis de honore Ioui deferendo, vrbe diligenter custodienda, & diligentia consulis in posteritatem. Iam verò Exordium discutiamus.

EXORDIVM EIVSDEM *Orationis.*

PRINCIPIVM orationis huius, vt item exordium secundæ in Catilinam orationis, lætitiam excitat in animis auditorum, exornatam magnitudine accepti boni; refertur autem ad beneuolentiam conciliandam, commemoratione & exornatione beneficii in rempublicam vniuersam collati. Sed in extremo breuis quædam summa rei totius proponitur, vt Romani fiant & dociles & attenti. Priores autem duæ principales ratiocinationis partes, propositio & assumptio hoc exordio amplificationibus obuolutæ cõtinentur. Vt hinc etiam appareat ex visceribus causæ (ex qua ratio illa principalis, quæ in vtraque sumptione cernitur. sumpta est) ductum esse hoc exordium.

Atque

Atque Assumptio propositioni præposita cum duabus præcipuis amplificationibus, quæ in confirmatione tractantur, prima periodo comprehensa est, Sectione 1. *Rempublicam, Quirites, &c.* Quæ paucis ita exprimi potest Rempublicam totam hodie diuina ope, meaque diligenti prouidentia ab interitu conseruatam videtis(vt hinc rursus constet ex iis, quæ sunt in oratione vberrima, exordiū sumi,cuius sententiæ singula prope verba verso dicendi genere dilatantur. Verùm prætermissis iis, quæ ad elocutionem pertinent, quæ à quouis mediocriter erudito animaduerti & notari queāt: ea quibus beneficium patefactæ & oppressæ coniurationis augetur ab Oratore,perpendamus:quæ ad res magis quam ad verba spectant. Prima igitur amplificatio est ex enumeratione partium in primis verbis. *Rempublic. Quirites, vitamq; omnium vestrum. &c.* Nam cùm vniuersam Rempublic. dixerit, deinde singulas partes enumerat. Alia amplificatio est in illis verbis, *Deorum immortalium. &c.* Ex causis, id est, ex Deorum beneuolentia, & vigilanti prouidentia Consulis, vt iam tetigimus. Magnum enim illud videri necesse est, quod sine diuina ope, tantaque diligentia perfici non potuerit. Causa autem diligentiæ vt

magna

magna videatur, eam orator ex enumeratione partium amplificat: partes enim diligentiæ prudentis, vel prudentiæ diligentis, pro diligentia ipsa ponit: id quod intelligi potest ex 2. de Orat. Sectione 150. *Reliqua sunt in cura, &c.* Vtraque autem hæc sententia hoc modo expressa multum valet ad inuidiam minuendam, quæ ex officii prædicatione oriri poterat. Propositio ratiocinationis deinde sequitur. Sect. 2. *Etsi non minus, &c.* Dies, inquit, quibus conseruamur, aut dies salutares, quod idem est, illustres esse nobis debent ac celebres. Hanc amplificat comparatione, quam quidam parium esse dicunt: ego comparationem minorum esse arbitror ad augendum beneficium. Id declarant illa verba. *quod salutis, &cat.* Nam elationem secant & summissionem. Sed inuidiæ vitandæ causa, summo artificio à Cicerone tractatur. Primum enim cum dicturus esset, *Si multò magis, &c.* Pro eo dixit, *si non minus* Deinde cum dicendum esset, *Esse apud vos posterosq́ue vestros maiore in honore debeo, &c* Vim comparationis suppressit, de se autem tertia persona locutus est. Elatio autem & summissio comparationis ex causis & adiunctis dissimilibus. Nam certa lætitia salutis, & incerta conditio nascendi causæ sunt maio-

maioris & minoris celebritatis. Sine sensu, & cum voluptate, modi dissimiles. Quinetiam alia minorum amplificatio notanda est: qua se conseruatorem vrbis cum Romulo eiusdem conditore confert: cuius redditionem paulò ante tetigimus, illis verbis, &c. *Esse apud vos, &c.* Postremæ autem comparationis hanc Apodosim Sectione 2. *Nam totius vrbis, &c.* Ex effectis illustrat: quibus rempublicam & vrbem Romanam à se fuisse conseruatam ostendit. Nam exitiosos coniuratorum impetus reipublicæ imminentes à se propulsatos esse profitetur. Atque hæc in tertiam Catilinariam hactenus.

ARTI-

ARTIFICIVM PRIMAE ORATIONIS IN CATILINAM ARTICIOSE RETExtum.

HAEc oratio deliberatiui generis est: cùm suadeat Orator Catilinæ, vt exeat; quod vel ex hac ipsa oratione constat, Sect. 13 vbi ait: *Si me Consulis suadeo, &c.* Nam quod in Oratore affirmat à se accusatum Catilinam, nihil obstat, cùm reprehensio hæc ad suasionem referatur. Alioquin & oratio pro lege Manilia exornationis existimāda esset: cùm dicat ibidem Cicero Pompeium ea ornari. Atqui nemo dubitet illam quoque esse deliberationis. Hæc dixerim propter quosdam, qui hanc orationem ad iudiciale genus retulêre. Constat autem Exordio, Confirmatione, Cōfutatione & peroratione, ardentique dicendi genere, & incenso tota ferè tractatur. Nam interdum summissè ac tenuiter Orator dicit.

Quæstio autem, quæ hac prima oratione à M. Tullio tractatur, est.

An Catilina ex vrbe egredi debeat?

Subiecta pars quæstionis huius eſt, Catilina, reliquę voces ad partem eius attributam ſunt referendæ. Igitur ad cognitionem quæstionis abſolutam de ſingulis vocibus ea ſunt, quoad fieri poteſt, cognoſcenda, quæ primo capite diximus, ſaltem ea, quæ ad rem explicandã neceſſaria videantur. Trium maximè vocũ hic habenda eſt ratio, Catilinæ, vrbis egreſſionis: cùm præſertim ex his argumentis in hac oratione ducantur. Quæ omnes notæ Ciceroni ſatis erant. Catilina quis fuerit Salluſtius etiam ſcriptum reliquit, vt inde nos quoque hominem noſcamus. Vrbis nomine Romam hoc loco per Antonomaſiam intelligi nemo neſcit: de qua quis non loquitur? quis non ſcribit? Reliqua perſpicua.

Quæſtio autem hæc finita coniecturalis eſt. proinde argumenta, ſiue rationes, quibus ad eam probandam vtitur, ſunt omnes ex adiunctis Catilinæ, præter ſecundum, quæ vrbis effectum continet, quippè quæ moleſtiam Catilinæ afferat: & quintam quæ ex effectis egreſſionis deprompta eſt. Nam iucundum eſt, quod parit delectationem. Quanquam quinta hæc ratio poteſt ex fine deprõpta dici.

Finis enim egressionis erat, vt iucunde Catilina, & ad libidinem suam viueret. Quæ item sumuntur ex parte subiecta rationes, & Catilinæ adiuncta dicuntur, ad egressionem relatæ, & cum ea comparatæ causarum efficientium vim obtinent: rationes autem quinque: quibus egrediendum Catilinæ probet, sunt huiusmodi:

1 *Quia eius coniuratio patet,*
2 *Quia in vrbe nihil eum delectare potest.*
3 *Quia omnes boni ciues eum egredi cupiunt.*
4 *Quia ipsemet vehementer optat ire foras ad Manlium.*
5 *Quia profectio hæc iucunda illi futura est.*

Ex his autem rationibus in vnum conglobatis principalis ratiocinatio, docendi causa fieri debet, quæ summam totius orationis comprehendat, hoc modo:

Cuius coniuratio comperta est? cui nihil potest esse iucundum in vrbe quem ciues omnes egredi cupiunt: qui summo exeundi tenetur desiderio, cuiq; summam discessus afferet voluptatem: is vrbem relinquere debet.
Sed Catilinæ hæc omnia conueniunt.

Cati-

Catilinæ igitur ex vrbe proficisci debet, vel in exilium vel ad castra Mālij.

Verum quoniam in orationis serie singulæ rationes separatim tractantur; quē-admodum M. Tullius eas digesserit, & vt ex singulis singulas ratiocinationes effecerit, quoque modo eas oratoriè tractauerit videre operæpretium est. Ex primo igitur argumento, etsi hoc modo ratiocinationem formare poterat.

Cuius coniuratio patet, is egredi debet ex vrbe.

At Catilinæ coniuratio patet.

Catilina igitur debet egredi ex vrbe.

Paulò tamen aliter connexa argumētandi forma, & ad ipsum Catilinam, quē præsentem alloquebatur, accommodate sic exprimere maluit.

Si tua cōiuratio patet, muta mentē, & abi.

Sed patet. Abi igitur.

Hanc autem quadripartitam fecit assumtioni subiecta approbatione, Sed singulas argumentationis partes ita nude ac simpliciter docendi causa propositas lōge is ornatius & copiosius expressit. Quarum vnaquæque in quota Sectione sit earum, in quas D Alexander Scot. nō ita pridem Ciceronis opera dissecuit, breuiter indicabimus, vt res tota planè intelligi ac perspici possit. Quod idem, Deo iuuante, deinceps in aliis facturi sumus.

Propositio itaque est in principio Confirmationis. Sect. 6. *Si neque nox, &c.* Quam tamen complexio proxime antecessit illis verbis expressa. *Quid est quod iam amplius exspectes ?* quæ sunt prima verba Confirmationis. Assumptio verbis illis continetur: *Teneris vndique, &c.* At illa, *quæ etiam mecum licet recognoscas*, verba sunt interiecta, ad attentionem excitandam. Deinde additur assumptionis approbatio: quam quatuor argumentis approbat, & vnumquodque subiectis rationibus confirmat: quę signa sunt certissima coniurationis. Primum est in Sectione 7. *Meministine, &c.* In cuius extremo breuis inter argumenta amplificatio inseritur ex adiunctis, cùm dicitur res tanta, tam atrox, tam incredibilis. Secundum ibidem, *Dixi ego idem in senatu. &c.* Tertium Sect. 8. *Quid? cùm te Præneste, &c.* Rursus excitat attentionem verbis illis, *Recognosce, &c.* ad quartum argumentum audiendum, quod paulò post sequitur, *Dico te priori nocte, &c.* Quo cõfirmato interserit amplificationem. Sect. 9. *O dij immortales, &c.* Et ibidem, *fuisti igitur apud Leccam, &c.* ad quartum argumentum reuertitur: idque aptius proponit, atque iterum confirmat. Ratiocinationis verò complexionem his verbis, Sectione 10. *Quæ cùm ita sint: & cæt.*

Ibi-

Ibidem comprehendit: eamque paulò copiosius exprimit augendi causa per expolitionem quod idem in sumptionibus efferendis ante fecerat. Ab eo deinde loco, Sect. 11. *Magna dijs immortalibus, &c.* vsque ad Sect. 13. *Quid est Catilina? &c.* Sect. 17. rem probatam multiplici comparatione amplificat: complexione argumentationis ad extremum aliis verbis repetita. Atque hoc modo primam quæstionis propositæ rationem tractauit.

Sectione verò eadem, id est, 13. absoluta illa amplificatione, & principalis ratiocinationis complexionem, quæ quæstionem siue thema continet, ideo repetiuit, vt secundum illi argumentum adiungeret: quod quidem illis verbis continetur, *Quid enim est, Catilina? &c.* Ex quibus plena hæc ratiocinatio existeret? 2. Rationis tractatio.

Cui vita in vrbe iucunda esse non potest, is egredi ex ea debet.
Sed Catilinæ vita in vrbe iucunda esse non potest.
Egrediatur ergo ex vrbe Catilina.

Omisit propositionem enthymematis vsus, quod frequēter euenire solet. Complexio est in illis verbis, *Quid est Catilina num dubitas? &c.* Sect. 13. Assumptio ratiocinationis, quæ est antecedens Enthy-

mematis, complexionē statim sequitur, *Quid enim Catilina est? &c.* ib. Quæ assumptio vbi approbata erit, infra cū ipsa complexione repetetur. Sect, 20. *Quæ cùm ita sint Catilina, dubitas? &c.* Nā ab illis verbis, *in qua nemo est, &c* Sect. 13. vsque ad illa, *Quæ cùm ita sint? &c.* Sect. 20. probatio illius assumptionis cōtinetur. Catilinam videlicet non posse in vrbe viuere iucunde, idque multis argumentis, ex repugnantibus iucunditatis, quæ in hanc ratiocinationem ab eo conferuntur:

Quem omnes metuunt, & oderunt: qui summa flagrat infamia: qui est obrutus ære alieno: quem omnes sciunt sæpè rempub. fuisse perdere conatum: qui non potest perficere, quæ cupit & molitur: qui non longè abest à carcere atq; à vinculis: ei non potest non grauis esse & acerba vita in vrbe.

At tu Catilina es huiusmodi.

Non ergo potest hic cali spiritus tibi esse iucundus.

Complexionem supra posuit, quæ assumptio erat superioris. Propositionem omittit, quam tamen infra. Sect. 17. ibi. *Serui mehercule mei, &c* quadam ex parte confirmabit. Assumptionem per partes proponit & confirmat: etsi primam partem de metu, & odio ciuiū initio pau-

cis

cis perstringit sine approbatiõe, copiosius infra probatur, Sect. 16. *Venisti.&c.* Secũda pars est Sect. 13. *Quæ nota.&c.* quam cõfirmat ex tupitudine domestica, & impuritate vitæ, interim illis verbis, *Quæ libido.&c.* amplificatio est, inter argumenta, turpis, & sceleratæ vitæ ex enumeratione partium, Tertia pars assumptionis est illis verbis expressa, *Prætermitto ruinas,&c.* Sect. 14. Deinde verò ibidẽ complexionẽ repetit: Sect. 15. *Potestne tibi huius.&c.* vt alias ei probationes addat. Quarta igitur pars assũptionis continuò sequitur, *Cùm scias horum,&c.* Quinta pars est ibidem ibi: *Nihil agis, nihil moliris, &c.* Interposita suis probationibus: hæ namque partim antecedunt, partim sequuntur, illa tamen pauca, *Neq; tamẽ conari ac velle desistis,* extra probationem addita sunt, ad odium Catilinæ conflandum, audacia ex effectis illustrata. Amplificatio igitur est inter argumenta breuis: vt item illa non multo post, Sectione 10. *Tamen ea carere diu non potes, &c.* vsque ad, *Nunc verò,* &c. Quibus verbis repetit complexionem, vt rationes alias ei subiiciat: quod antequam faciat, inserit ad mouendum leniter ad beneuolentiam conciliandam, pauca, cùm ait, *Sic enim iam tecum,&c.* Deinde verò Sect. eadem. *Venisti paulò ante,&c.* Argumẽta, id est, tria

signa subiicit ad confirmandam primam illam assumptionis partem, Catilinam omnibus ciuibus esse timori atque odio, quam supra tãtum attigerat. Sed illa pauca. *Qui tibi persæpe ad cædem constituti fuerunt*, Interposita sunt argumenta amplificandi causa. Complexionem verò mox ibidem repetit sæpius repetitam, Sect. 17. *Quo tandem animo, &c.* Deinceps cùm ait Sect. eadem, *Serui mehercule mei, &c.* Confirmat primam propositionis partẽ de metu & odio: omnemque argumentationem ad quæstionem orationis principalem accommodans, probat discedẽdum esse Catilinæ in exilium: quod in tanto ciuium odio sine summa molestia viuere non possit, Argumentis tribus vtitur ex confirmatione firmissimis: quorum duo prima ex minore sumpta sunt, tertium ex pari Sect. eadem, & 18. Sed tertium, *Si te parentes, &c.* explicatur à Cicerone ratiocinatione tripartita: cuius partes ordine ponuntur sine vlla cõmutatione. Sectione verò 18 ibi. *Quæ tecum Catilina, &c.* Assumptionem superioris argumentationis, amplificandi causa & permouendi, sententiarum figura exornat, quam Græci προσωποποιΐαν vocant. Postrema verò pars illius assumptionis, cuius cæteras partes adhuc confirmauit, Catilinam non longe abesse à carcere, atque

que à vinculis, tractatur Sectio 19. *Quid quod tu, &c.* hac argumentatione:

Qui seipsum iam dignum custodia iudicauit, is non longè videtur à Carcere, atque à vinculis abesse debere.

Tu autem, Catilina, te dignum custodia iudicasti:

Quare non longe à carcere debes abesse.

Complexionem omittit, quia ex propositione satis intelligitur, quæ est expressa illis verbis, *Sed quam longè, &c.* Pro assumptione ponit eius approbationem: quæ cum sua confirmatione præponitur propositioni, nam. *Quid q tu, &c.* approbatio assumptionis est: & *quid quod vitanda, &c.* eius confirmatio. Cum verò mira arte confirmatis omnibus assumptionis illius multiplicis partibus, totam illam primam argumentationem cõcludit, qua probauit nihil esse in vrbe, quod Catilinam delectare posset: *Quæ cùm ita sint, &c.* Sect, 20. vbi pro, emori, legendũ est, morari.

Deinde Sect eadem 20. *Refer, inquis, ad senatum,* & sequenti 21. & 22. tertium argumentum tractatur, quo probet discedendum esse Catilinæ, quod ciues omnes id velint & cupiant. Id quod probat ex enumeratione partium, quod & senatores & equites, & plebs vniuersa, quæ particeps non sit coniurationis, dis-

cessu illius gauisura sit. Sed nota quam artificiosè hanc primam partem ingrediatur, per anteoccupationem, Singulis etiam partibus probationes adiectas obseruare oportet: etsi duæ posteriores, de equitibus & plebe, coniunctè probantur. Paulò verò post, Sectione 22. *Quanquam quid loquor, &c.* Digreditur confirmata re ad amplificandum antequam concludat: & quoniam vtrunque genus ibi motuum permiscet, ad inflammandum & conciliandum, locus est etiam miro artificio temperatus ex vtroque genere dicendi, & eo, quod lenitate permulcet hominum mentes; & eo, quod atrocitate perturbat. Protrahitur amplificatio ad complexionem vsque, quæ est Sectione 23. *Quamobrem vt sæpè iam dixi. &c.* Hãc enim permotis animis iecit ad extremum. Sed ea rursus amplificatur ex repugnantium, & contrariarum rerum contentione.

4. Ratio principalis. Non multò verò post. Sect. 24. *Quanquam quid ego te inuitem, &c.* Transit M. Tullius ad quartum argumentum, quo Catilinæ abeundum probat, ex eiusdem voluntate & desiderio, id est, quod ipse velit etiam & cupiat exire, siue, quod sua sponte sit egressurus. Idque hac ratiocinatione tractatur.

Qui

Qui iamdudum vehementer egredi ad bellum exoptat, is proficisci debet, & vrbē relinquere.

Tu autem, Catilina, iampridem vehementer exoptas ire ad Manlium.

Proficiscere igitur, & vrbem relinque.

Propositionem omisit: Assumptionis probatio prima est in illis verbis, *à quo iam sciam, &c.* Illa autem pauca. *quam tibi, ac tuis, &c.* vsque ad, *constitutum fuit*, itemque illa, *Tu vt illa, &c. trāstulisti*, extra probationem sunt ad amplificandum inserta. Cōplexio cum assumptione. Sect. 25. succedit. *Ibis tandem aliquando, &c.* Vnde principalis concluditur: Si enim aliquando tua sponte egressurus es, nunc egredere.

Continuò deinde quintum quæstionis argumentum subiicit. Vult enim ob eam causam relicta vrbe Catilinam ad Manlium discedere, quod id iucundum illi futurum sit. Tractat hoc argumentū Collectione quadripartita. Subdit enim huic argumento, tanquam propositioni Collectionis, rationem ex tribus causis efficientibus illius iucunditatis, *Ad hanc te amentiam, &c.* Sectione eadem 25. Cui rationi addit confirmationem naturæ & voluntatis ex effectis, *nunquam tu, &c.* & fortunę item ex effectis, id est, ex euentu fortuito, *nactus es ex perditis, & cætera.*

Complexio illis verbis continetur, Sect. 20 *Hic tu qua lætitia &c.* Sequitur deinde iucunditatis illius, siue voluptatis amplificatio re confirmata, ab illis verbis, *Ad huius vitæ studium, &c.* Vsque ad cõfutationem. Amplificationis verbum extremum est, *nominaretur*.

CONFVTATIO.

HACTENVS ostensum est, quemadmodum M. Tullius quinque rationes illas tractauerit: nunc breuiter etiam nonnulla de refutatione dicamus. Cuius initium est Sectione eadem 27. *Nunc vt à me, P.C &c.* Cùm enim nonnulli defenderent, aut defendere saltem potuissent, Catilinam debuisse necari à Consule: voluit ostendere, cur id non faciendum iudicauerit. Contrariæ igitur sententiæ argumenta primum proponit. Fingit enim (idque ornatissime) patriam obiicientem per prosopopœiam ea, quæ contra dici poterant: Ad quæ postea respondet Sect. 29. ibi, *Ego si hoc optimum factu, &c.* Conceditque vera esse quæ dicta sint, perniciosum ciuem debuisse interfici: sed negat id expedire reipub. cùm ei vtilius futurum sit, si cum suis egrediatur. Hac autem ratiocinatione reliqua oratio cõprehensa est:

Si esse:

Si esset vtilius Catilinam interfici, quam emitti, interfecissem.

Sed vtilius est Rep. ipsum emitti, quam necari.

Quamobrem non interficiatur, sed emittatur, & ex vrbe egrediatur.

Sumptiones suis approbationibus cõfirmantur: quanquam hic prætermisit assumptionem: quæ ex eius approbatione perfacilè intelligitur: quod in alia quadã argumentatione supra ostendimus. Approbatio est in illis verbis, Sect. 30. *Nunc intelligo, &c.* Sed illa verba, Sect. 29. *Quod si ea, &c.* Itemque illa Sect. 30. *Quanquã nonnulli*, quæ per correctionem propositionis approbationi subiecta ipsi assumptioni proponuntur, digressionem quandam continent ad amplificandum, tum conciliandi causa, tum permouendi, & in *Quanquam, &c.* est amplificatio posterior ad permouendum. Quia ciues improbi quidam notantur, & illis odium conflatur. Ratiocinationis complexio, &c.

PERORATIO.

Ratiocinationis complexio est eadem principium Perorationis, Sect 32. *Quare P. C. secedant improbi, &c* In ea verò peroratione variis vtitur amplificationibus, partim ad inflammandum in coniuratos odium: partim ad conciliandam sibi beneuo-

neuolentiam accommodatis. Prima amplificatio est ex effectis, quibus augetur eorundem improbitas ad odium. Secunda ibi, *Polliceor vobis, &c.* ex adiūctis personarum, Digestione ornata: quæ adiuncta etiam, vt causæ adiuuantes eædemq; perimentes rectè intelliguntur opprimēdæ coniurationis, atque hæc ad beneuolentiam. Rursus Sect. 33. ibi. *Hisce omnibus, &c.* Repetitur complexio, & amplificatur egressio ex fine turpi, vt bellum impium ac nefariū gerat, & hic finis augetur, & causis adiuuantibus cum contentione contrariorū. Ad extremū Ioui supplicans, quem vt causam adiuuantē principem coniuratorum opponit potentiæ, totam illi rem commendat. Sed & ad illius potentiam, & horum improbitatem augendam amplificationes ex definitionibus conglobatis variæ; illæ ad beneuolentiam, hæ ad inuidiam afferuntur.

DE EXORDIO.

Cùm nulla in hac oratione narratio sit, quæ sit pars ab aliis distincta: Exordiū paulò longius protrahitur vsque ad illa verba, Sect. 6. *Et enim quid est Catilina, &c.* in quibus initium confirmationis esse diximus. Sed exordium quomodo ex ipsius causæ visceribus depromptum sit, & quo maximè spectet, videndū est. Causa siue quęstio finita, quę hic tractatur est,

vt supra

vt supr. diximus. *An Catilina egredi ex vrbe debeat.* Iam prima fronte animaduertere licet ex adiunctis Catilinæ (quæ pars est subiecta quæstionis) quod sit homo audacissimus: quæ audacia variè amplificatur, primum ex effectis audaciæ, q̃ tã diu nõ vereatur abuti senatorum, bonorũq; omniũ patientia, q̃ tam diu oẽs eludat, quasi furens audacia scilicet: vt in principio secundæ orationis dicitur: q̃ tã diu se iactare non dubitet, &c. Deinde ex causis perimentibus .i. ex iis, vel rebus vt præsidiis, & excubiis, vel personis, & earũ autoritate grauissima, quæ cũ plurimũ ad opprimendã illius audaciam, & exanimãdum deterrendumq; hominem à nefariis consiliis valeant: his tamen nihil ille moueatur. Vnde necesse summam illius audaciam videri. Quam rursus auget ex effectis, quod cum perspecta sciat sua consilia, prodire tamen in conspectum hominum, & in senatum venire non dubitet, & illic vnumquemque designare ad cædem. Præterea, cum ex iis quæ in oratione sunt vberrima duci etiam exordium soleat: & in confutatione huius oratiõis, vt supra demonstratũ est, illud accuratissime disputetur, sitne interficiendus Catilina, an eiiciẽdus: ex ea quoq; parte pars altera principii ducta est, in qua Catilinã asseuerat & disputat debuisse necari, cui*

pas-

partis initium est Sect. 2. ibi, *Nos autem viri fortes, &c.* Omnia autem quæ in hac parte dicuntur amplificando, ad extenuã-dam atque abiiciendam consulis fortitudinem, quam eadem de causa ignauiam vocat, (nam & per ironiam dicit, *nos autẽ viri fortes*, cum aliud significare velit) referuntur. Extenuatur autem fortitudo & augetur ignauia ex effectis, quod satis habeat consul vitare illius furorem, & à republ. auertere, quem interfici iussu consulis iampridem oportebat. Hanc verò partẽ aliis amplificationibus auget, primum à pari, vt interficiatur, qui vult alios interficere. Deinde ex comparatione minorum; ibi, Sect. 3. *An verò vir, &c.* Rursus à pari exemplo, ibi, *Nam illa nimis &c.* Deinde contentione contrariorum multiplici. Nam in primis verbis, *Fuit, fuit, &c.* comparatur fortitudo antiquorum, cum ignaui consulis, & illorum fortitudo ex effectis augetur cum minorum quadam comparatione. Deinde Senatorum præsentium fortitudinem, quam extollit etiã ex euentis, cum sua itidem ignauia confert, cum ait, *Habemus enim, &c.* Rursus veterum senatorum, & consulum, eodem modo animi magnitudinem, ex effectis auget, & suam ignauiam similiter damnat in apodosi comparationis, vbi dicitur Sect. 4. *At nos viginti, &c.* Cuius protasis

fuit.

fuit. *Decreuit quondam*. Sed in hac postrema contentione, includitur etiam comparatio minorum: cum leuiora illi commisisset, qui olim occisi sunt, quam Catilina. Elatio igitur & summissio in omnibus illis minorum comparationibus ex effectis sumitur: Sed apodosis illa rursus amplificatur ex contentione repugnantium, quod qui interfici debuerit, viuat: & hoc ex fine turpi augetur, cum contrariorum contentione. Deinde verò, eadem Sect. 4. vbi dicitur. *Cupio P. C. &c.* Rursus suam auget ignauiam, primum Clementia sua cum illa dissimiliter conferenda: deinde ex adiunctis vel potius ex causis perimentibus, id est, ex multis maximisque malis reipubl. imminentibus, quæ omnem huiusmodi ignauiam exterere, & consulem ad illis occurrendum interficiendo Catilina excitare deberent, cum tamen tergiuersetur & procrastinet. Sed vt paulò ante, clementiæ quasdam significationes dedit, ita tandem cum ait, Sect. 5. *Si te iam, Catilina, &c.* Vsque ad confirmationē dat significationes prudētię suę, & vigilātiæ: quarum rerum amplificationes ex effectis depromptas esse constat. Concludit ergo non expedire, vt nunc interficiatur Catilina, sed exspectandum esse tempus magis opportunum: in quibus verbis totius orationis propositio.

quæ

quæ ad docilitatem valet, inuoluta est. Habes vnde & quomodo ductum sit: nūc paucis accipe quo maxime spectet ad hoc principium. Cum igitur omne principiū ad mouendum pertineat, perspicuum est inflammandos animos, & vehemens in Catilinam odium præcipuè referri. Quāquam prior eius pars, in qua augetur Catilinæ audacia, hanc vim habet maximè: posterior in qua consulis vel fortitudo extenuatur, vel ignauia augetur: ea dicit Orator, quæ vim habeant sibi à sua persona conciliandam: cum sic amabiles suos mores significet, dāda significatione modestiæ, lenitatis, prudentiæ, & studii patriæ à periculis defendendæ. Cumque sedatiora soleant esse principia, vt & Cicero admonet in 2. de Orat. Sect. 317. *Neq; dubium, &c.* Hoc tamen vehemens & pugnax est, cum id & periculi magnitudo, & Catilinæ præsentis audacia, & reipubl. salus postularet.

Hæc de inuentis rebus, & earum ordine ad quæstionem explicandam, quo pacto tanquam nerui & venæ per totū corpus orationis diffundātur: quas cum nudas ferè proposuerimus, facilè quiuis intelliget ex reliquis, quæ vix attigim⁹, quis ornatus accesserit: De hoc enim pauca in transitu diximus: vel quia minus perspicua fuissent quæ attulimus, tot simul re-

bus,

bus explicandis: vel quia ex dictis videtur satis posse à perspicacibus intelligi, ab iis præsertim qui elocutionis præcepta tenuerint: vel quia si eo non explicato sibi satisfactum non putent eloquentiæ candidati, separatim alias aperiri poterit.

FINIS.

DE RATIONE CONSCRIBENDI EPISTOLAS, VTILISSIMAE PRAEceptiones.

Eodem Ioanne Voello autore.

AVTOR CANDIDO LECTORI S. D.

CVM incredibili quodam, amice Lector, adolescentes non solùm pietate, sed etiam bonis artibus, & disciplinis instituendi studio teneamur: illud etiam vehementer optamus, vt illi breuissimo tempore, viaq́ue commodissima fructum ex literis vberrimum percipere possint. Quod cùm ita sit, non modo in docendi via optimum quodque, quod sequamur deligere, sed eos etiam autores, qui ado-

adolescentibus maximè vtiles videantur in scholis nostris exponere solemus. Quoniã autem duo genera autorum prælegũtur, vtilitas in ijs, qui alicuius rei præcepta dẽt, quatuor his rebus potissimè cernitur, breuitate, perspicuitate, ordine & genere dicendi. Præcepta enim si nimia sint, ingenia obruũt puerorum: si obscura, non intelliguntur: si perturbata & confusa, odiosa sunt. si autem inde absit incorrupta Latini sermonis integritas, quantum obsecro, ex ea re detrimenti in misellos redundabit?

Quæ certè omnia cùm nostra Societas intenta mentis acie contemplata esset, id mihi negotij dedit, vt præcepta de componẽdis epistolis conscriberem, quæ vtiliter & commodè studiosæ iuuentuti proponerentur. Quod quidem suscepi nõ inuitus, præsertim, cùm præpositorum voluntati repugnare sine graui scelere non liceret. Ad id autem conficiendum quantum cõtulerim diligentiæ, tu ipse videris. In eo certè elaboraui, vt præceptiones breues essent, vt dilucidæ, vt ordine optimo distributæ, & quoad eius fieri potest, elegantes & latinæ. Ita enim sperabam fore, vt breui artem epistolarum scribendarũ adolescentes perdiscerent: ex cuius ignoratione illud accidit plerisque, vt literas illiteratissimas, etiam mediocriter literati conscribant. Qua in re Ciceronem maximè imitandum censui: quippe qui optimus in

hoc

hoc genere dux & magister sit habendus.

Propterea aliquot eius epistolas quæ præceptis propositis responderent, ipsis tanquã exempla subieci. ut viderẽt omnes, quomodo illum in exercendis præceptis imitarentur. In ijs autem epistolis seligendis in consilium adhibui, cùm alios de literis benè meritos, tum etiam Paulum Manutium singulari doctrina virum: cuius scholia breuissima in epistolas Ciceronis familiares conscripta nuper exierunt. Nolui enim quorundam hominum iudicio temerè acquiescere, ne incerta pro certis, falsa pro veris amplectenda proponerentur. Quo in negotio cum essem occupatus, omnes propemodum Ciceronis familiares epistolas, quinetiã eas, quæ Attico scripta sunt, peruolutaui. Quæ autem in ipso libelli principio noua fortasse quibusdã videri potuissent, ac proinde repudianda, certissimis autoritatibus in margine adscriptis ea confirmaui, ne vllus cuiquam omninò dubitandi locus relinqueretur. Sic enim homines nunc sunt, ut alteri non facilè fidẽ sint habituri, qui quæ in hoc genere noua vel scribat, vel loquatur grauis alicuius viri testimonio non probarit. Quod autem ad numeros attinet, quibus citandis M. Tullij locis vsus sum, non modò libros indicare volui, è quibus deprompta illa sunt, quæ numeris marginum respondent, sed etiam pagina-

ginarum locos certis numeris demonstrare, vt & certiora essent, quæ dicuntur, & omnia facilius, citiusq; inuenirentur, itaque eo numero, qui librum non indicat, scito paginæ indicari partem, in qua sit idem notatus numerus, idq; in operibus Ciceronis, anno 1588. in duodecimo Lugduni Sumptibus Ioannis Pillehotte excussis.

Hæc sũt, amice Lector, quæ tibi ante significanda duxi, q̃ ad ipsius opusculi lectionẽ aggrederere, quæ vt amicissimè à nobis scripta sunt, sic ea tu quoq; accipias magnoperè rogamus. Vale, in collegio Turnonio, Non. Septembris, anno à Christo nato, 1571.

DE RATIONE CONSCRIBENDI EPISTOLAS, BREVISSIMAE, ATQVE VTILISSIMAE PRAECEPTIONES.

Propositio generalis totius libri.

a Cic. in Ora. ad Brut. 110. & l. 1. offic. 7.

IN aomnibus, quæ ratione docentur & via, primùm constituendum est, quid quidque sit: atque inuolutæ rei notitia definiendo aperien-

rienda est: siquidem definitio, est oratio, quæ quid sit id, de quo agitur, ostēdit quā breuissimè. Tum explicato genere cuiusq; rei, videndum est quæ sint eius generis, siue formæ, siue partes, vt in eas tribuatur omnis oratio. Placet igitur, quoniam disputatio omnis de ratione conscribendi epistolas futura est, ante definire quid sit epistola, quam de variis eius formis & generibus disserere. Quibus expositis: reliqua deinceps, quæ ad institutum pertinebunt, quam breuissimè poterimus, persequemur.

Quid sit Epistola, & vnde sit dicta.

AC *b* Epistolam quidem sic definimus, vt sit absentis cum absente mandatū scriptis colloquium de his rebus, quas alter alteri notas esse velit. *c* Fit enim sæpenumero, vt, quoniam interuallo locorum & temporum disiuncti sumus, per literas cum absentibus colloquamur. Epistola autem, quia mitti soleat ad absentes, ita est nominata. Nā ἐπιστέλλειν vnde ea vox ducta est, mittere significat.

b Cic. Phil. 2. 7. lib. 1 ep. ad Q. Frat. ep. 1 29.

c Cic. lib. 1. ep fam. epist. 7.

Cur inuenta Epistola, quidq; sit eius proprium.

EPistola *d* est inuenta, vt certiores faceremus absentes, si quid esset, q̄ eos scire, aut nostra, aut ipsorum interesset. *e* Ei9 propriū illud est, vt is ad quē scribitur, de his rebus, quas ignorat certior fiat.

d Cic. lib. 2. epist. fam. ep. 4

e Cic. li. 1. epist. ad Q. Fratrem, epist. 29.

Tria

Tria esse genera epistolarum, ad quæ cætera reuocentur.

TRia sunt genera epistolarum: deliberatiuum, iudiciale, demonstratiuum. Nam tametsi multa esse à f M. Tullio dicuntur: tamen è tribus his tanquam fontib⁹ omnia duci facilè perspiciet, qui hæc præcepta studiosè lectitarit. Quippe deliberatiuo genere suademus vel dissuademus, hortamur, vel dehortamur, petimus vel commendamus, consolamur vel monemus, conciliamus vel reconciliamus: & si quid est aliud, quod ad deliberationem referri possit. Iudiciali accusamus, aut defendimus, querimur, aut expostulamus, exprobramus, aut comminamur, purgamus, aut inuehimur, deprecamur denique, aut aliud quiduis facimus, quod in hoc genus cadere potest. Demonstratiuo genere cętera omnia complectimur, quæ ad genus deliberatiuum, vel iudiciale deflecti commodè non possunt. At enim M. Tullius dissidere ab hac partitione videtur: qui tria epistolarum genera ab his quæ proposuimus diuersa g constituit. Vnum, quo certiores facimus absentes, si quid est, quod eos scire, aut nostra, aut ipsorum intersit: alterum familiare, & iocosum: tertium seuerum & graue. Quamobrem aut sex prima epistolarum genera

f Cic. lib. 2. ep. fa mil. ep. 4.

g lib. 2. ep. fam. epist. 4.

genera ſint neceſſe eſt aut tria quidem, ſed illa potius quæ videntur à M. Tullio conſtituta, quam noſtra. Non eſt hic nodus, quem ſoluere difficile ſit. Nam primũ illud quo abſentes facimus certiores, eſt vnum & ſimplex, nec formas vllas habet ſibi ſubiectas, diciturque nunciatorium, ſiue narratorium, & ad genus demonſtratiuum referri debet, vt infrà oſtendemus. At ſecundum genus, quod ſeuerũ & graue appellat Cicero, qualitatem quandam ſignificat, quæ varias literarum formas afficere poteſt. Nam & ſuaſoria epiſtola, & diſſuaſoria, & petitoria, & aliæ permultæ ſpecies, ſi argumentum earum graue ſit, ſeueræ & graues eſſe poſſunt. Neque aliter genus aliquod epiſtolæ graue & ſeuerum dicitur, quam apud *h* Rhetores genus cauſæ, dubium, humile, turpe, vel honeſtum dici ſolet. De iocoſo & familiari genere idem planè dici, quod de ſeuero poteſt, vt qualitatem ſignificet multis generibus communem. Prætereà cũ M. Tullius multa epiſtolarum genera eſſe dixiſſet, ex illis multis trium illorum fecit mẽtionem, quibus ipſe frequenter ſoleret vti: & ſibi deeſſe in eis argumentum ſcribendi oſtendit: non autem vt fontes conſtituit, è quibus omnes literarum riuuli deriuentur. Tot ergò ſint epiſtolarum genera, quot initio dixi: formę plures generum

h *Autor ad Herẽ. lib. 1. 5. & Cic lib. 1. de Inuẽt. 20.*

rum singulorum: de quibus nobis ex ordine dicendum est. Quanquam nihil attinet omnium formarũ meminisse, quod propè immensum foret: satis enim erit, si res potissimum, quæ sunt insigniores, quæve crebrius vsurpantur, in medium proferamus. Atque de genere primo primum, si placet, disputemus.

DE DELIBERATIVI GENERIS EPISTOLIS.

a Cic. in partit. 83.

DEliberatiuum a genus causę apud Rhetores dicitur, quod in consilio dando positum est, idque suasionem & dissuasionem complectitur. Huius generis quoniam affines sunt pleræque literarum formæ: primum genus epistolarum, ad quod illæ omnes referũtur, deliberatiuum aptè censuimus nominandum. Cum igitur in suasoria epistola dissuasoria, hortatoria, dehortatoria, cõsolatoria, petitoria, commendatitia, monitoria, conciliatoria, suadendo vel dissuadendo semper consilium detur, consequens est, vt vnaquæque harum formarum ad illud sit reuocanda. Has autem epistollarum formas propositæ breuitatis memores singulatim tractemus.

De suasoria epistola.

AC primum quidem de suasoria epistola præcepta dentur: in qua hæc ferè sunt obseruanda: *a* Principio, si res postulabit, captanda paucis erit beneuolentia: quod quemadmodum fieri cōueniat, deinceps monstrabimus. Deinde *b* narratio subiicienda, in qua omnia ad suadendum accommodabimus, & quasi semina quædam argumentorum dispergemus. Tertio loco id quod suadere volumus, cū amplificatione quadam est *c* proponendum, adiecta etiam prout res exigere videbitur, *d* diuisione Hic *e* confutatio succedet: qua id statim in principio refellamus, quod vehementer nobis aduersari videatur: vel, si commodius id futurum putes, confirmationi erit subiungenda: vel certè vt quidque inciderit: ita illud cōfutare oportebit. Deinde rationem vnā, vel plures subdere opus erit, & suæ rationibus *f* confirmationes. Rem verò ipsam locupletabimus exemplo, autoritate, prouerbio, sententia, simili, dissimili, cōtrario: Quæ ita miscebimus inter se, ac tēperabimus, vt nunc à ratione ad simile, à simili ad exēplum, ab exēplo, rursus ad rationē vel eādē aliis verbis vestitā, vel certè diuersam veniamus. Item autoritati, sententiæque rationem conuenit subiicere.

Partes epistolæ suasoriæ.
a Exordium
b Narratio.
c Propositio.
d Diuisio.
e Confutatio.
f Confirmatio.

In tanta autem varietate expolitionem * & collectionem Rhetoricam prudenter intexemus. Verùm intelligat ſtudioſus, ad vnā propoſitionem confirmandā plures rationes afferri poſſe, & vnamquamq; rationem pluribus cōfirmationibus poſſe muniri: itemque ad confirmandas ſingulas, plures expolitiones poſſe adhiberi. Sed quemadmodum rationes propoſitionibus breuitatis cauſa interdum admiſcentur, ita cōfirmatio rationi, confirmationi expolitio interiicitur. In hoc etiam genere laudem, ſpem, expectationem, quę cohortationis propria ſunt, rectè adhibebimus. Ab his enim omnibus ſtimulandi rationes petuntur: quibus in epilogis vti ſolemus. Atque hæc quidem ſit epiſtolæ ſuaſoriæ componendæ ratio: nunc ſi pauca ſeparatim de rationum & comparationum inuentione dixerimus, ad alias epiſtolarum ſpecies veniemus.

** Collectio dicitur à nō nullis id argumētationis genus, de quo autor ad Heren. lib.2.27.*

De Rationum inuentione.

SVmendæ ſunt rationes ab his potiſſimum locis, honeſto, vtili, neceſſario, tuto, iucundo, facili; nec non ab eo, quod Græci δυνατὸν, è Latinis quidam *a* poſſibile nominauit. *b* Honeſtū dicitur, quod ſua vi ac natura laudabile eſt, & propter ſe expetendum. Huic ſubiiciuntur omnes virtutes, quęque legibus ſacris, & propha-

a Quint. li 3. ca.8.
b Cic.l.2. de Inuen. 158 & ad Heren. lib.1.5.

nis, & exemplis bonorum, ac natura ſunt commendata. Eodem fama & infamia referuntur, quæ plurimum in deliberando valent. Vtile eſt, quod non propter ſe, ſed propter fructum & commodum expetitur. Vtilitas autem in conſeruandis, & comparandis bonis, atque in iis euitādis, quæ his contraria ſunt, conſiſtit. Bonorum quædam ſunt animi, vt docilitas, celeritas ingenii, memoria fœlix, bonitas naturæ & indolis, eruditio: quædam corporis, vt forma, vires, facultas, & eiuſmodi: quædā externa, vt honores, magiſtratus, opes animi, & cætera generis eiuſdē. Nam virtutes, quæ alioqui veriſſimè & maximè bona putanda ſunt, & honeſtate continentur, ab hac partitione docendi gratia ſeparamus. Neceſſarium dicitur, ꝙ aliter fieri nequit, vel ſaltem commodè vitari non poteſt. Tutum poſitum eſt in tuenda incolumitate & ſua, & ſuorum. Iucundum eſt, quod delectationem affert. Facile, quod vel nullo, vel non magno labore, ſumptu, moleſtia, quā breuiſſimo tempore confici poteſt. Poſſibile in efficiendi facultate conſiſtit. Hunc locū, & eum qui proximè antecedit, circunſtāſtantiæ probāt, vt tēpus, occaſio, modus, inſtrumentū, locus, & aliæ quædam. Horū autē vt quodq; tractandum ſit, ne ſim prolixior, à *b* Rhetoribus peti iubebo, qui de his

b Cic. ad Her. l. 14.

de his vt erri nè disseruerunt. Quoniam autem rationes, quibus propositiones confirmemus, etiam à circumstantiis inueniuntur, de his quoque breuiter explicemus. Hæ sex potissimum numerari solent, persona, res, locus, tempus, modus, (ad quem facultas & instrumentum referri possunt) & causa: de quibus ita quæri solet: Quis, quid, vbi, quando, quomodo, quamobrem? Quis? vt, Italus, nobilis, diues, pauper, seruus, &c. Quid, vel quale? Furtum, sacrilegium, honestū, turpe, &c. Vbi? In templo, sylua, &c. Quando? die, noctu, nundinarum tēpore, &c. Quomodo? palam, dolo, veneno, gladio, laqueo, &c. Quamobrem? odio, ira, lucro, &c. Quę cum omnia diligētius à *c* Rhetoribus referantur, nobis ea tantū indicanda videbantur. Eruūtur etiā argumenta & rationes è locis topicis, vt à genere, specie, differētia, &c. quibus tamē vel propter puerorum imbecillitatem, quibus hæc scribuntur, supersedendum duximus. De rationibus inueniendis hactenus.

c Quint. lib. 5. ca. 10. de his multa & docte.

De inuentione confirmationum.

RAtionum autem confirmationes ab his ducuntur locis, *a* ab exemplo, maiori, minori, pari, contrario. Planum fiat exemplo, quod dicemus. 1. Omne peccati genus, & quicquid animi splendorem inqui-

Autor ad Her. lib. 4. 63.

1. Propositio.

quinare potest, summo studio fugere oportet. 2. Et maximè Christianos id homines decet, qui, cum baptismo initiarẽtur, id sunt professi, & regni cælestis volunt esse aliquando participes. 3. Nã maiores nostri, ob eam causam, loca deserta & vasta petierunt, inedia & vigiliis libidines damnuerunt, precationibus assiduis diligenter vacauerunt. 4. Si corporis maculam multi, ignominiæ vitandæ causa, ferre non possunt, animi labem, quæ hominem vita æterna priuat, poterit hominis Christiani dignitas sustinere? 5. Si tam multos videmus in committendis maleficiis diligentes, quæ perniciem illis æternam sunt allatura: an segnes erimus ad virtutes amplectendas, quibus salutẽ perpetuã consequemur? Atque hæc de rationum & confirmationum inuentione dicta sufficiant. Nemo tamen putet his omnibus inueniendi locis in suadendo semper vtendum esse, quod per longum foret, præsertim in epistola: Sed quod incident, ex quibus erui aliquid possit, tot etiã poterimus vti. Quæ ad stimulandi rationes pertinent, in exhortatoria epistola scribemus. Nunc exempla suasorii generis ex Cicerone pauca proferamus.

2. Ratio à persona.

3. Confirmatio rationis ab exemplo.

4. à minori.

5. à contrario.

Suasoriæ igitur Epistolæ in epist. fam. Ciceronis sunt hæ: lib. 2. epist. 18. cuius initium, Officium meum erga Rhodo-

nem,&c.& lib.4. epist.7. Et si eo te adhuc consilio,&c. & 8. Neq; monere te audeo, &c.& 9. Et si perpaucis,&c.Item lib. 8. epist.16. Exanimatus sum tuis literis. Item lib. 9. epist. 9. Si vales, gaudeo. Hæ quidem omnes sunt in epistolis familiaribus. Cic. vt & illæ quæ deinceps singulis formis subscribentur.

De dissuasoria epistola.

DIssuadendi ratio eadem erit quæ suadendi: sed argumenta in dissuasione contrariis ex locis ducenda erunt: vt à turpi, inutili, non necessario, periculoso, &c. Omnia denique rei; quæ dissuadebitur, incommoda in hoc genere colligemus. Huius generis epistolæ sunt apud Cic. hæ lib. 2. epist. 3. Rupæ studium. Item lib. 7. epist. 20. Amabilior mihi. Item libr. 8. epist. 51. Qua tu cura sis. Item li. 10. epist. 26. Lectis tuis literis.

De epistola exhortatoria.

a Quid inter suasionem, & exhortationem intersit.

SVasioni exhortatio valde finitima est: hanc tamen ab illa docendi gratia seiunximus, vel ob id etiam, quod inter eas aliquid interesse videatur. *a* Nam suadendo id agitur, vt velis, exhortando, vt audeas, suasio probationibus docet: exhortatio similis excitat. Suasor sententiam

mutat: exhortator animum addit. Suademus aut errantibus, aut certè hæsitantibus: exhortamur cessantes, aut etiam iam currentes. Quare si rem ad viuum resecare voluerimus, exhortatio suasoriæ epistolæ pars erit, nempe epilogus, qui affectibus constat, non argumentis. Neque enim suadenti sat erit quid sit optimum factu docuisse, nisi stimulos nobis admoueat, ne vel difficultate, & periculo deterriti, vel ignauia retardati, quod optimum esse viderimus non sequamur. Sed vt in suasionem ferè semper cadit exhortatio: ita in hac non rarò continget vti suasione. Quamuis autem cohortando non id agitur, vt qui volũt agere aliquid, velint, sed vt vehementius incendantur: tamen in cohortando hoc ipsum persuadere nitimur, quod homines volunt, vt magis libeat agere: sicque pertinent cohortationes ad consilium dandum, & deliberatione continentur. Ab his autem locis stimulandi rationes petemus: à laude, spe, metu, odio, amore, miseratione, æmulatione, exspectatione, exemplis, obsecratione. Hi sunt enim quasi stimuli quidã, & incitamenta virtutum, quæ nobis natura tribuit, ex quibus exhortatorium genus componi debet. De his autẽ sigillatim dicendum aliquid videtur.

A laude.

A Laude bifariam exhortabimur, vt tũ rem ipsam laudemus, tum hominem. Re laudanda excitabimus, si piam, si religiosam, si magnificam, si raram, si nouã, si arduã, si hactenus intentatam dicemus. Personæ collaudatione commouebimus, si ante ab eo bene gesta artificiosa laude dilatabimus: si vt bene cœpta animosè pergat, hortabimur: si generis claritatem, si opulentam, si nobilitatẽ, si dignitatẽ, si imperii præstantiã, si vires, si sapientiã, si virtutẽ, si ætatem, si rerum vsum extollemus, ac ne quid his indignum admittat admonuerimus. Porrò iuuentus, & senectus decrepita laude lætatur apertiore: matura & virilis ætas tectius laudari debet.

A spe, & metu.

PLurimum ad permouendos animos valet spes præmiorum, & incommodorum metus: quorum alterius quidem in adhortando propriæ sunt partes, alterius in deterrendo. Prioris generis est immortalitas, beatitudo, decus, gloria, honores, opes, voluptates honestæ, trãquillitas, aut aliquod emolumentum: posterioris autem, inferi, æterni cruciatus, turpitudo, ignominia, egestas, dolores, tu-

multus. Atque interdum commoda cum incommodis conferre per contentionem licebit.

Ab amore, odio, miseratione.

VEhementer etiam commouebimus, si eorum charitatem, quorum gratia res geritur, commemoratione renouabimus. Rursus, si odium, & atrocitatem in eos, contra quos dimicatio suscipitur, quàm grauissimè exaggerabimus: atque hinc amicorum gratiam, hinc inimicorum atrocitatem cornibus aduersis conferimus. Vt pro sanctissima Christi regione, contra teterrimam Turcarum superstitionem: pro incredibili Christi charitate, contra dæmonis odium capitale, quo illius cultores prosequitur. Iisdem ferme rationibus efficitur commiseratio. Si amicorũ solicitudinẽ, inopiam, luctum, squalorem: è regione verò, inimicorum potentiam, ferociam, audaciam, insolẽtiam adducemus, & verò prosopopeiæ interdum locus esse poterit.

Ab æmulatione.

AEmulatio *a* dupliciter quidẽ dicitur, vt & in laude, & in vitio nomen hoc sit. Nam & ægritudo, si eo, quod quis concupierit, alius potiatur, ipse careat, *a Cic. 4. Tusc. 37.*

æmulatio dicitur. Sed ea nos hoc loco nõ vtimur, eſt enim vituperabilis, & eſt æmulatio imitatio virtutis: de qua hic loquimur, eſt enim laudis. Verum non ſimplex eſt ab æmulatione exhortandi ratio. Vtrinque enim accreſcent animi, ſi æmulorum virtutem, gloriam, ſtudium, conatum, opes, cum amplificatione ante oculos ponemus: aut certè eorundem ignauiam, inſcitiam, infirmitatem, inopiam, per eleuationem proferemus.

Ab exſpectatione duplici.

AB expectatione concitabimus, ſi oſtẽdemus quanta ſit omnium amicorũ, & eorum maximè, quos ipſe magni facere videatur, de illius virtute expectatio. Hanc expectationem admodũ probabilem efficiemus à generis nobilitate, ab indole palam ſpectata, ab educatione, à loci celebritate, ab anteactis & ante dictis, atque aliis id genus circumſtantiis. E diuerſo autem, ſi maleuolorum expectationem atrociter exaggerabimus, ſi quantum gaudium eorum futurum ſit, quæ ſcommata, qui riſus, quanta ferocitas, ſi res parum fœliciter euenerit, deſcriptione ſub aſpectum ſubiiciemus.

Ab exemplis.

EXemplum est breuis expolitio rei gestæ, aut vt gestæ: quæ quidem exhortandi causa proponitur. Vtemur autem exemplis tum externis, vt Aegyptiis, Phrygiis, Persicis, Syriacis, Græcis, Hebræis, Romanis, Ethnicis, Christianis, peregrinis, nostratibus: tum domesticis, veluti maiorum nostrorum affinium, præceptorum, & eorum quibuscum vel patria vel ordo, vel possessio communis est. Atque à veteribus quidem ad recentiora atque ab iis ad ea quæ nostra gesta sunt memoria descendamus: à quibus ad gentilitia, postremò ad domestica perueniamus. Fabulosis iam exemplis interdum vti licebit.

De his legendus Quintil. l. 5. ca. 11.

Sic autem oportebit exempla tractare, vt quos proponemus imitandos, eos cũ laude statim aliqua, & honorifica præfatione, sed quæ sit ad rem accommodata, nominemus, ad hunc modum: perspexit hoc Plato philosophiæ parens, Vidit hoc Alexander ille Macedo, vir gloriæ natus. Diuersum in contrariis exemplis fieri conuenit: vt, quæ posteritas Dionysii sacrilegi tyranni nomen non execrabitur? Nobilitatus crudelitate Nero, &c. Si exemplum fabulosum fuerit poëtæ laudem præfati, quid sibi eruditissimi, pruden-

Exempla quomodo tractanda.

tissimique homines eiusmodi figmentis voluerint, probabiliter aperiemus.

Ab obsecratione.

OBsecratio extremum in hoc epistolarum genere locum sibi vendicabit. Cùm enim illis exhortandi locis vsi fuerimus, eum cui scribimus per virtutem aliquam laude adiuncta amplificatã, per fœlicissimam indolem, per ingeniũ pulcherrimis & honestissimis rebus rebus ornatũ, per gloriam benè gestis rebus partam, denique per quiduis aliud, quod rei, & personæ conueniat, obtestabimur, atque obsecrabimus, vt se digna & velit, & audeat.

De leniendâ exhortatione.

SI quando metuimus, ne quid offendat vehemens & importuna cohortatio, multis rationibus eius molestiam leniemus, dicemusque nos incredibili quodã amore fuisse inductos, vt cùm hortaremur, qui non tam calcaribus, quam frænis egeat: vel certè negabimus nos oratione nostra languentem velle accendere, sed currentem incitare: eumque rogabimus, vt nostræ ignoscat importunitati: quæ non aliunde, quàm ab immodico gloriæ salutis, & vtilitatis illius studio ꝓficiscatur. Denique virtuti eius omnia

secun-

ſecūda precabimur. Cauendum verò eſt, ne cuiuſquam cauſa, aliter quam ſentimus, loquamur.

Iam verò exhortatorias epiſtolas apud Ciceronem has inuenies libr. 2. epiſt. 4. Epiſtolarum genera multa eſſe non ignoras. Item lib. 4. epiſt. 10. Etſi nihil noui. Item lib. 10. epiſt. 5. Binas à te accepi. Item lib. 12. epiſt. 24. Ego nullum locum prætermitto. Item epiſtolæ plurimæ lib. 16. hortationes ſunt ad valetudinem.

De epiſtola dehortatoria.

VIx vnquam alterum cohortamur, quin eadem apera dehortemur. Quo in genere cùm verſabimur, exempla eorum, quibus ea res haud fœliciter euenerit, congeremus. Deinde rei turpitudinem, probrum, conuitia, incommoda colligemus: quæ per exornationem, quā Rhetores deſcriptionem vocant, ante oculos ponemus. Vtrique verò generi tā exhortatorio, quàm dehortatorio, quid, quoque modo reſpondendum ſit, natura ipſa docebit. Nemo enim eſt tam inhumanus, nisi fortè ſuperbus & arrogans, qui gratias non agat hortatori, grauiſſimumque eius officium fuiſſe ſibi ſignificet.

De consolatoria Epistola.

EXistimandum quoque est consolationes ad deliberationem referre, cùm in consilio dando totæ sint positę. Nam qui alios consolatur, is profectò consilium dat ne lugeant, ne mereant, ne se confici dolore patiantur. Duplex autem est consolationis tractandæ ratio: vna simplex & aperta, cum argumētis declaramus nō esse causam dolendi: quòd viro sapienti nihil triste accidere possit præter turpitudinem, id est vitium, neque à quoquā lædi queat, nisi à seipso. Hæc consolandi ratio conueniet in Philosophum, vel in eū, cuius prudentia cognita sit nobis, atque perspecta.

Altera est inuoluta & occulta per insinuationem ei adhibenda, cuius animus est infirmior, aut dolor recentior acerbiorue, quàm vt apertè sibi manus admoueri patiatur: vel cuius sit animus erectior, quàm vt videri velit consolatoris indigere. Dicemus igitur nos de illius sapientia & fortitudine in ferendis aduersis nihil dubitare: nos isti fortitudini gratulari velle: nos ad consolandum parum esse idoneos, qui non minus angamur animo, quam is ipse, quem confirmare deberemus. Deinde omnia, quę dolorem lenire possunt diligenter colligemus. Id

fiet, si malum extenuabimus, ita, vt vel non diuturnum fore ostendamus, vel nõ esse incommodum. aut non esse tam graue quàm apparet, enumeratis quæ in eo insunt commodis, aut citra culpam id accidisse dicemus. Aliis quoque rationibus ad rem accommodatis vtemur: neque vllo modo illustrium virorum exempla, qui similes casus fortissimo animo tulerint, prætermittemus. Postremò ad exhortationem veniendum erit. Consolationis enim clausula ferè cõstat adhortatione, qua mœrentem amicum eo impellere nitimur, vt animum ab angorib⁹ abductum ad ea conuertat, quibus & res aduersæ leuantur, & secundę ornantur, in quibus res diuinæ ac cælestes principatũ tenent. Eidem omne studium operam, diligentiam, eiusque liberis ac necessariis deferemus.

Consolatorię literæ in epistolis famil. Cic. sunt inter cæteras hæ præcipuæ, lib. 4. epist. 5: Postea quam mihi renuntiatum est. Quæ quidem epistola perfectum est consolationis exemplum. Item lib. 5. epi. 16. Etsi vnus ex omnibus. Pulcherrimum etiam exemplum. Et eiusdem lib. epist. decima septima. Non obliuione. Quanquam in hac hortando consolatur. Et eiusdem libr. epist. 18. Etsi egomet. Item libr. 6. epist. 1. Etsi ea perturbatio. Quæ

præ-

præstantissima est. Et epist. 4. Noui quod ad te: Quæ est etiam eximia, & 21. Etsi cū hæc ad te.

Ad consolationem responsio.

IAm quibus modis respondendum sit consolatori, breuiter dici potest. Primū gratias agemus de officio: deinde laudabimus ingenium, quod nihil abduci potuerit ad leniendum dolorem, quod ille summa dicendi facultate non sit persequutus, deinde cum laude aperiemus, quid nam effecerit eius consolatio: vtrum dolorem mitigarit, an totum absterserit. Quæ si nihil profuerit, laudato illius animo, studio, & ingenio, eius rei causas exponemus.

Huius generis epistolæ apud Cic. sunt hæ: lib. 5. epist. 13. Quamquam ipsa consolatio. Item lib. 4. epist. 6. Ego verò, S erui, vellem.

De epistola petitoria.

Epistola petitoria ex quibus partibus constet.

QVoniam varia est rerum natura: quas petimus, petendi rationem oportet esse variam. Quædam enim petimus liberè, vt consilium: alia verecundè, vt mutuum. Ergo in genere duplex erit petendi modus, rectus & obliquus. Si res erit huiusmodi, quę liberè peti possit, apertè suadebimus eam esse præstandam: quæ quidē peten-

petendi ratio: præsertim si rem difficilem petemus, tractanda erit ad hunc modum: Primò eius, à quo rem ipsam petimus, a beneuolentiam conciliabimus, à persona ipsius, facta beneficiorum eius erga nos, & alios mētione: à persona nostra, si quales in eum fuerimus ostendamus: à persona maiorum vtriusque, si de amicitia, quæ inter eos intercesserit, loquamur. Deinde b narrationem breuem subiiciemus, si quid fortè narrandum contigerit, vnde ipsa petitio nascatur: sin minus, erit omittēda. Postea c docebimus rem piam esse, iustam, honestam, nobis necessariā, illi facilem & honorificam. Deinde citra arrogantiam ostendemus; quid ex ea re commoditatis sit ad ipsum etiam aliquādo rediturum. Si quid inerit incommodi, quod animum illius vel alienet à nobis vel deterreat, id aut diluemus, aut extenuabimus. Ad extremum sequetur obtestatio & remunerationis pollicitatio cum nostræ facultatis extenuatione.

a Exordium.

b Narratio.

c Cōfirmatio.

At verò si res pudorem nobis afferet, obliquus erit petendi modus per insinuationem hoc modo. Primùm necessitatē, quæ nos premat, exaggerabimus, & quam sit inutilis pudor viro egenti: nec ignorare nos dicemus quàm graue sit aliquid ab eo petere, de quo nihil vnquam simus meriti. Post hæc paulatim veluti

cuniculis quibusdã, non apertè, ostendemus nos magna impetrandi ab eo quod petimus spe teneri, qui singulari quadam benignitate solitus sit etiam ignotis, & indignis opitulari. Deinde illa subiiciemus, quæ supradicta sunt ab eo loco, in quo res pia, iusta, honesta, &c. demõstrari cœpta est, vsque ad finem. Hic studiosos monitos velim ne rem parum honestam aut turpem, his præceptis putent comprehendi. Illud enim omnes, præsertim Christi cultores, cauere & prouidere debent, vt nec petant res turpes, nec petentibus dẽt rogati. Quin etiam acerbius, sed sine contumelia talia petentibus respondeant, & simul doceant non modò ius diuinum, sed etiam naturæ hoc pacto violari: alia item quamplurima in hanc sententiam afferri poterunt. Hæc tamen omnia moderatione quadam condienda erunt, vt ille ad meliorem mentem reuocari possit.

Petitoriæ sunt epistolæ lib. 3. epist. 2. Cùm & contra voluntatem. Item, li. 5. ep. 12. Coram me tecum. Item lib. 6. ep. 16. Si mihi tecum. Huc etiã pertinet illa petitio Iunonis apud Virg. in 1 Aeneid. qua supplex ab Aeolo petit, vt emissis ventis aut naues fluctib⁹ obruat: aut si id fieri nõ possit, eas disiiciat in diuersas orbis plagas, eodem refertur & oratio Ilionei, qua

ipse

ipſe in libr 7. Aeneid. apud Latinum regem habuit.

De Commendatitia epiſtola.

A Petitione non multum diſſidet commendatio. Cùm enim commendam' aliquem illius nomine quippiam petimus: ſed ne commendari quidem vllus poteſt, quin laudetur. Quare commendatitia epiſtola partim demonſtratiui generis eſt, cùm eum, quem commendamus, cum laude breuiter deſcribimus: partim deliberatiui, cùm rem ipſam, aut honeſtam, aut vtilem, aut facilem oſtendimus. Abſolutè tamen eſt deliberationis, cùm illæ laudes ad ſuadendum referantur. In hoc genere literarum, tres perſonæ ſunt conſiderandæ: noſtra, eius qui commendatur, eius cui ſcribimus. Quarto loco res ipſa cuiuſmodi ſit, eſt inſpicienda: poſtremò officioſa promiſſione litteras claudere oportet. Quæ quidē omnia ad perſuadendum referri debent. Igitur à perſona noſtra perſuadebimus, ſi amicum noſtrum oſtendemus eum quem commendamus, aliaſque cauſas commendationis plurimas, eaſque iuſtas & magnas referemus. Ab eius perſona, qui commendatur, ſi virum bonū, & cōmendatione dignum confirmabimus.

A per-

A persona eius, cui scribimus, si eius in alios benignitatem, & humanitatem leuiter attingemus, ac eum, quem commendamus, de ipso quàm optimè & sentire & prædicare dicemus. A re ducta commendatio valebit, si eam facilem illi potissimum, cui hominem commendamus, monstrabimus: si piam, si honestam, si vtilem probabimus. Tum si eiusmodi erit, quæ patrono laudi, gratiæ, autoritati, aut emolumento aliqua ex parte futura sit. Deinde obsecrationibus vti licebit. Ad extremum eum, quem commendamus, beneficii memorem futurum, simulque nos ipsos significabimus: necnon mutuā operam & studium deferemus:

a In argumento ep. 3. li. 1. epist. famil. Cic.

Paulus *a* Manutius de hoc genere breuius præcipit, hoc pacto: Huius generis epistolarum quatuor partes solent esse: vt amicum nostrum ostendamus eum, quē commendamus: vt bonum virum, & dignum qui commendetur: vt æquitatē rei de qua scribimus: denique vt beneficii memorem futurum, simulque nos ipsos significemus. Quæ tamen in omnibus huius generis epistolis non planè omnia sunt expressa. Hæc ferè Manutius.

Ad hanc formam literarum hæ Cic. epistolæ pertinent: li. 1. epist. 3. Aulo Trebonio. Item lib. 2. epist. 6. Nondum erat auditum. Item lib. 6. epist. 9. Cum A. Cæcinna

cinna. Quæ est perfectæ commendationis exemplum. Item lib. 7. epist. 5. Vide, quam mihi persuaserim. Deinde lib. 13. epistolæ fermè omnes sunt commendatitiæ.

De epistola monitoria.

PRæcepta, admonita, & abiurgationes pertenui discrimine separantur. Nam præcepta dicuntur, quæ pertinent ad vitam instituendam, admonita quibus homines de officio commonefiunt: cùm ea in memoriam reuocantur, quæ non eis veniebat in mentem sponte sua. Obiurgationes autem acriores alicuius peccati sunt castigationes: neque aliud interest inter obiurgationem & admonitionem, nisi quod admonitio, non solùm contumelia, sed etiam acerbitate vacet: obiurgatio contumeliæ quidem est expers, sed asperitatis & acerbitatis plena, vt admonitio sit leuior quædã obiurgatio: obiurgatio autem asperior quædam admonitio, & durior: vt Cicero docet in 1. lib. de Offic. *a* vbi de sermone loquitur, altera parte orationis, & in libro de Amicitia *b* post versum Terentianum.

Praeceptiones, admonitiones, & obiurgationes ad deliberationem referuntur, & vnius monitionis nomine comprehenduntur.

a Sect. 136.

b Sect. 91.

Obsequium amicos, veritas odium parit.

c Sect. 339.

Et in *c* secundo libro de Oratore, Quæ

cina

cùm ita ſint, quo genere vna harum partium continebitur, eodem neceſſe erit cæteras contineri, Admonitio autē planè pertinet ad deliberationem. Iſocrates enim cùm admonitionem ſcribere ſe velle profiteatur ad Demonicum, tamen velle ſe ei dare conſilium affirmat. Atqui omnia quæ dicuntur, vel ſcribuntur ad dandum conſilium, omnes confitebuntur eſſe deliberationis. Quocirca & admonitiones, & præceptiones, & obiurgationes, ad deliberationem referendæ ſunt. Quod ita eſſe facilè intelliget, qui viderit, & qui præcipiunt: & qui admonēt, & qui obiurgant, id agere, vt is q admonetur, vel inſtituitur, vel obiurgatur, accepto conſilio, benè, & honeſtè viuat. Porrò hæc tria propter cognationem, vnius monitoriæ epiſtolæ, ſeu monitionis nomine complexi ſumus: de qua breuiter nobis præcipienda ſunt, quæ ſequuntur.

Monitoriæ igitur epiſtolæ duplex eſt officium, & vitium, ſi quod mutari volemus, prudenter indicare, vt inde hominē ad virtutem reuocemus: & quæ agenda ſunt ea neſcienti vel admonendo, vel præcipiendo oſtendere, vel eius vtilitati conſulamus. Prius admonitionis genus a obiurgationem admiſtā habet: poſterius vel admonet tantum, vel docet, obiurgatio-

a *Obiurgatoria.*

gationis expers. Quoniam verò plerisque obiurgatio & reprehensio odiosa solet esse, eius acerbitatem laude mitigabimus, adiuncta etiam, quo ad veritas id patietur, ipsius vitii extenuatione. Tum verò quibuscunque modis poterimus illum à vitio, cui deditus erit, abducere conabimur. Nos hæc præcipuo quodam in illum amore scribere dicemus, aliis non idem facturos. Orabimus vt pari libertate in nos vtatur, quo maiorem in nos beneuolẽtiam declaret. Vt enim proprium erit amicitiæ munus, vt libera sit admonitio ac mutua, quam æquissimo animo vtrinque accipi oporteat.

Vbi verò sine reprehensione, quid agendum sit ostendemus, siue admoneamus quempiam officii, siue instituamus, autoritatem quandam induamus oportet, sine eius, quem monemus, iniuria. Idque vel ab ætate, qua longè illum, præcedimus, vel à multarum rerum vsu, qui in eo tantus per ætatem nõdum esse potuit: vel à doctrina, & diuturno studio, in quo nos simus plurimis annis versati. Denique grauitate quadam sermonis quid, quomodo fieri conueniat, exponemus. Vt, quomodo instituenda vita, in ludo literarum qnomodo versandũ, stylus quibus modis parandus, & alia generis eiusdem.

In vtroque autem admonendi genere, hoc est, in eo, quod obiurgationem habet, & in eo, quod eius est expers, probatissimorum autorum dictis, & exemplis crebris vtemur, præsertim eorum quorũ autoritas grauis est apud eum, quem admonemus: & quid quemque laudis aut infamiæ consecutum sit, ostendemus.

Monitoria quæ habet obiurgationem, epistola est apud Ciceronem hæc: lib. 7. epistola 8. Scripsit ad me Cæsar. Sine obiurgatione verò monitoriæ sunt, quæ sequuntur. lib. 9. epist. 8. Etsi munus flagitare. Item libr. 14. epist. 18. Considerandum vobis.

De conciliatoria epistola.

CONCILIATORIA epistola est, qua nos in beneuolentiam antea ignoti insinuamus. Hæc ita erit construenda. Principio causas, quibus ad ambiendam illius amicitiam sumus accensi probabiliter exponemus: qua in re assentationis speciem summo studio fugiemus. Deinde siquid nobis erit, quod illum ad amorem mutuum prouocare possit, id sine arrogantia significabimus.

De epistola mandatoria.

MAndatoriam epistolam nemo non videt ad genus deliberatiuum pertinere, cùm aliquid nostro nomine fieri per eam petamus. Hæc nihil habet artificii, præter sermonis eloquentiam & breuitatem: qua quidem mandamus alteri, quid illum facere velimus.

Mandatoria est libr. 14. epistola 20. In Tusculanum, & epistola 21. Si vales, benè est. De literis deliberatiuis satis dictum est: nunc ad iudiciales transeamus.

DE IVDICIALIS GENERIS EPIstolis.

IVdiciale genus causæ id Rhetores dicunt *a* quod in litè ordinanda positum est. Huius partes præcipuæ duæ sunt, *b* accusatio, & defensio: sed ambæ partes alias comprehendunt. Nā accusatio, querelam, expostulationem, exprobrationē, &c. defensio, purgationem, & deprecationem, & si quæ aliæ sunt. Nam satis habemus earum partiū meminisse, quæ ad nostrum institutum pertinere videntur. Has. n. formas, quę nūc enumera-

a *Cic. in 2. de Orat. 42.*
b *Cic. ad Her. li. 1. 2.*

tæ sunt, transferimus à iudiciali causę genere ad secundum literarum genus, quod idem, propter eam, quæ huic cum illo est, similitudinem, iudiciale nominamus. Ac de his quidem partibus strictim nobis agendum videtur.

De accusatoria seu criminatoria epistola.

IN accusatoria epistola, qua alterum accusemus, nonnunquam à principio abrupto conuenit exordiri: quo statim & nostrum dolorem, & rei atrocitatem indicemus. Id erit, si à conquestione, aut dubitatione, vel ab exclamatione, aut ab alia figura quæ modo ad rem quadret, initium capiemus. Deinde ipsam rē verisimili narratiōe explicabimus. Mox probabilibus argumentis, quæ sunt è Rhetorum præceptis haurienda, rem demōstrabimus. Postremò epilogum, aut aliquid epilogi loco subiiciemus.

Criminatoria epist. est li. 8. 13. Pudet me, &c. Item lib. 11. ep. 3. Literas tuas. Quæ expostulatio ab aliis dicetur.

De defensoria epistola.

DEfensionis siue confutationis ratio quænam esse debeat, hæ Ciceronis epistolæ monstrabunt, lib. 3. epist. 7. Pluribus

bus verbis. & 8. Etſi quantum. Item lib. 5. epiſt. 2. Si tu exercituſque. Quæ tamen excuſatoria videri poteſt. Nec mirum, cum hæ ſpecies inter ſe non multum diſſideāt. Item lib. 11. epiſt. 27. Nondum ſatis. Quæ eſt huius loci maximè propria, & epiſt. 28. Magnam voluptatem.

De epiſtola deprecatoria.

DEprecatio admodum cognata eſt defenſioni. Quamuis enim pertinere ad deliberationē videatur, quod qui deprecatur pro filio apud patrem, conſiliū dat patri vt filio ignoſcat: tamen ad iudiciale genus eam retulimus, quòd ſit perſimilis deprecationibus publicis iudiciorum, quæ ab omnibus dicendi magiſtris numerantur in defenſionibus, quæ qualitate continentur.

Deprecamur autem cum culpam manifeſtam confitemur, & tamen ignoſci *a* nobis, vel aliis petimus. Hic ſupplices erimus, culpam ingenuè fatebimur, quam tamen poſtea extenuabimus, vel ab imprudentia, vel ab ætate, vel hinc etiam, quod nunc primum deliquit: vel ab ipſo delicti genere culpæ partem in alios trāſferemus. Eum qui peccauit ſic affligi pudore, metu, dolore dicemus, vt dignus miſericordia videatur. Eius, quem placare conamur, clementiam laudabimus, &

a Cic. *ad Her. li.* 1. 24. *Item l.* 2. 25. *Itē Cic. in.* 1. *de inuen.* 15.

implorabimus. Spem melioris vitæ ostẽdemus: quam ex illius, qui peccauit, indole per se bona, aliisq; eius benefactis, reddemus probabilem. Nostram quoque autoritatem interponemus. & pro eo recõciliando spondebimus.

De expostulatoria epistola.

EXpostulatio, quæ est quædam accusatio, persæpè inter amicos fieri solet, quoties officium eorum requiremus. Et quoniam hic amici queruntur de amicis, quòd aliqua in re discesserint ab officio, querimonia etiam, vel querela rectè vocari possit. Vt si queratur quispiam, quod amicus fidem fefellerit, quod oblitus sit veteris amicitiæ, quod iã diu nullas litteras miserit, aut aliquid eiusmodi. Ea, ne quid amicitiam lædat, leniẽda est, vel laude, vel ioco, vel dissimulatione, nisi talis erit is, cui scribimus vt apud illum nihil non liceat, dummodo semper modestiæ, & honestatis meminerimus. Rem ipsam quidem damnabimus, sed voluntatem, quoad licebit, excusabimus. Mirari nos dicemus, quid causæ fuerit, cur officio functus non sit: attamen quiduis malle suspicari, quàm ab eo neglectum officium fuisse. Deniq; illum cohortabimur, ne committat in posterũ, vt meritò

præ-

prætermiſſi aliqua in re officii argui poſſit: quod ea res nobis mœrori, ipſi verò dedecori, & probro futura ſit.

Huius generis eſt. li. 3. ep. 6. Cùm meum factum. Item lib. 5 epiſt. 7. Si tu, exercituſque valetis. Item lib. 7. ep. 9. Iam diu ignoro. Item lib. 16. epiſt. 26. Verberaui te cogitationis tacito duntaxat conuicio.

De purgatione, ſiue excuſatione.

EXpoſtulationem purgatione ſeu excuſatione diluimus, qua prætermiſſi, vel neglecti officii, aut etiam ſuſcepti conſilii excuſatio continetur. Quanquam excuſatio afferri poteſt, etiamſi nulla expoſtulatio anteceſſit. Quod ſi reſpondebimus ad expoſtulationem, nos ea non modò nihil offenſos verumetiam delectatos oſtẽdemus. Deinde ſuſpicionem obiectam vehementer deteſtabimur. Poſtremò rationes quàm maximè probabiles, quibus ea expurgetur afferemus. Quanquã huic generi mirè vario, vix vlla certa ratio præſcribi poteſt. Ex re, ex tempore, ex perſonis conſilium ſumamus oportet.

Purgatoria eſt lib. 2. epiſt. 1. pars 1. Quãquam me nomine negligentiæ. Nam alioqui ſi hanc eandem epiſtolam integram accipias, ex pluribus generibus mixtam animaduertes.

Excusatoria est lib. 1. Epist. 1. Ego omni officio. In qua multiplicem rei non perfectæ excusationem affert. Nuntiatoria tamen etiam dici potest, quod Lentulo Cicero nunciet, quid in causa regia in Senatu actum sit. Et epist. 9. Periucundę mihi fuerunt. Item li. 10. ep. 2. Meum studiū. & 23. Nunquam. & 31. Minime mirum. Item libr. 11. epist. 13. Iam non ago tibi gratias. Item lib. 15. epist. 5. Quod & resp. me.

De exprobratione.

EXprobratio est, qua ingratis beneficia exprobramus: non tamē ea semper, cū libet, vti licet. Si enim intempestiuè, vel animo approbrādi, tantū ea suscipiatur, proculdubio vituperanda est. Quippè odiosum est genus hominum sic officia exprobrantium. Sin opportunè, & è re illius, qui beneficium accepit, illa quispiam vtatur, reprehensione caret, si modo acerbitate vacet, quia Christiana charitas lædi vlla ratione possit.

In hoc igitur genere conscientiam ipsius testabimur: rem ipsam artificiosa narratione ante oculos ponemus: in qua perpetuò & nostram in illum beneficentiam, & ingratum illius in nos animum amplificabimus.

Huius generis eſt epiſt. 5. l. 5. Etſi ſtatueram. Atque hæc de ſuaſorio & iudiciali genere dicta ſunt, deinceps demonſtratiuum perſtringemus.

DE EPISTOLIS DEMONSTRATIVI *generis.*

GENVS eſt cauſæ apud ſcriptores Rhetoricæ artis, quod *a* Græce ἐπιδεικτικὸν nominatur, quod quaſi ad inſpiciendum delectationis cauſa comparatum eſt. Id Romani *b* pleriq; demonſtratiuum, Cicero *c* Partitionibus oratoriis exornationem dixit. Eſt aũt genus hoc exornationis, vt ibidem ipſe M. Tul. affirmat, latum, ſaneq; varum, omniaque complectitur, quæ à duobus aliis cauſarum generibus remota dicuntur, vel ſcribuntur ad cognitionem, & ad aurium voluptatem. Itaque ille idem *d* in oratore exornationi ſubiicit laudationes, & vituperationes, ſcriptiones, hiſto rias, & tales ſuaſiones, qualem Iſocrates fecit Panegyricum, & alii Sophiſtæ, reliquarumq; rerum formam, quæ abſunt ab omni *e* cõtentione. Sed ex hoc tã vario genere, ac tã multiplici Rhetores eã partem ſuſceperunt, quę ad laudandos claros viros ſuffi-

a *Cic. in Orat. ad Brut. 37.*
b *Autor ad Her. li. 1. 2. & lib. 2. 1.*
c *Sect. 69*
d *In ora. ad Brutum, 37. Idẽ quoq; ſentit Quint. l. 3. cap. 4. in fine.*
e Contẽtionis nomine deliberatiuũ, & iudiciale genus cõprehenditur.

ciat, & vituperandos improbos: de qua solùm in arte præceperunt, quod sæpius hæc quam cæteræ partes, tractaretur, & ab ea vniuerso generi nomen fecerũt. Idque Græci ἐγκωμιαστικὸν, Latini quidam laudatiuum. Cicero *f* elegantius à parte meliori laudationem: vel laudationis genus dicere consueuit.

f Cic. in 2. de Orat. 43. & in pa. 170.

Nos igitur, qui demonstratiuum hoc genus fontem tertium constituimus, ex quo plures epistolarum formæ deriuentur, idem tantis laudationum, & vituperationum angustiis im campum illum pristinum, & laxitatem reuocamus. In hoc enim licebit vagari nobis liberè, omnesque literarum species, quæ à reliquis generibus alienæ videbuntur, hoc vno exornationis genere complecti. Atque id causæ fuit, cur paulò plura de hac re prædixerimus. Quare hoc quidem ex iis, quæ adhuc ex sententia M. Tullii dicta sunt, effectum sit, epistolarum formas omnes, quæ vel Deliberatiuo, vel Iudiciali genere comprehendi non possunt, ad genus Demõstratiuum commodissimè referri. Cuiusmodi est Nuntiatoria, seu Narratoria, Lamentatoria, Gratiarum actio, Gratulatoria, Officiosa, Disputatoria, Collaudatoria: de quibus etiam breuiter disseramus.

De

De nuntiatoria & narratoria epistola.

AC primum quidem Nunciatoriam epistolam, qua & Narratoriam cõprehẽdi volumus, demonstratiui generis esse constat, cùm graue iudicium Ciceronis habeamus, *a* ad qui id genus Historiã, seu narrationem reuocauit. Hæc enim pertinet ad cognitionem rerum gestarum, & ad eam voluptatem, quæ capitur ex cognitione: quas nemo negabit esse exornationis. Est autem epistola nuntiatoria, seu narratoria historię quasi alumna quędam, sicut epistolæ Ciceronis, & præcepta ipsa declarant.

a *In Ora. ad Brut. 69.*

Nuntiatoria enim epistola est, qua facimus amicum certiorem, si quid nouæ rei gestum sit apud nos, quod illius referat scire, vel quod illi voluptatem sit allaturum, siue priuatum sit illud siue publicum. Priuatum, vt cùm significamus absenti, qua valetudine simus, quid agamus in studiis, quid rure, quid in vrbe, quid in ædificiis, quid in litibus successerit, & alia huiusmodi. Publicum verò, vt de pace, de bello, de regum gestis, aut fœderibus, de pestilẽtia, aut inũdationibus, terrę motu, tempestatibus, aliisq; eiusdem. Sit autem nuntiatio dilucida, breuis & veritati cõsentanea, cùm ea cognata sit narrationi.

b Legendus Menandri liber de genere demonstratiuo.

Ad hanc *b* formam referuntur descriptiones personarum: animantium, monstrorum, regionum, vrbium, arcium, domorum, locorum, temporum, tempestatum, conuiuiorum, pomparum, fluuiorũ, fontium, plantarum, itinerum, montiũ, hortorũ, agrorum. Quarum rerum, aliarumque similium descriptionibus potissimum solemus vti, cùm in peregrinis regionibus versamur. Huiuscemodi autem descriptiones, quibus describitur aliquid ad cognitionem & voluptatem, sine controuersia erunt exornationis. Cæterum pars illa demonstratiui, quæ in laudãdis, aut vituperandis personis consistit, rarò quidẽ in epistola per se adhibetur, sed frequenter in aliis generibus locum habet: vt in commendatione, consolatione, petitione, exhortatione, admonitione. Præterea in criminatione, defensione, aliisq; similibus formis epistolarum. Quòd si per se aliquando adhibetur, tota erit ad delectationem accommodata. Quare vt in pictura, sic in ea exornationem conueniet adhibere sermonis varietatem, verborum apparatum, exornationum festiuitatem, annominationes, membra, cõparia, contraria, interdum etiam verba Poetica. De his hactenus.

Nunciatoria est lib.2.epist.2.Id.Ian.in Senatu.& epist.4.Ad 16.Kal.Febr.& ep.5.

Tametsi

Tametsi nihil. & 8. De omnibus rebus. Itē libr. 2. epist. 15. Non potuit. Item libr. 4. epist. 12. Et si scio non. Item lib. 5. epistol. 6. Cum ad me Decius. Item libr. 7. epist. 2. Mandatum tuum. Item lib. epistolę fermè omnes.

De epistola lamentatoria.

HVic generi proxima est lamentatio, siue lamentatoria epistola, qua quid aduersi nobis contigerit amico significamus. Nam inter commoditates, quas amicitia secum multas affert, hæc etiam commemoratur. Quæ res adimere solet bonam ægritudinis partem. Atque hic nihil opus est arte, cum vnumquemque dolor soleat reddere disertum.

Lamētatoria est lib. 9 epist. 11. Vel meo ipsius interitu. Item lib. 14. epist. 1. Et literis. & epist. 3. Accepi ab Aristocrito.

De gratiarum actione.

GRatiarum actiones, & gratulationes, quoniam ad ornamentum quoddam pertinent, ad exornationem reuocandæ sunt: referunturque ad res laudandas, & ad eos ipsos ornandos, quibus vel gratias agimus, vel gratulamur. Igitur in gratiarum actione (vt de hac priore loco seorsum agamus) accepti beneficii magnitudo exornatur. Hic beneficium quod accepimus erit modis omnibus amplificandum.

dum. Nam sæpe gratiam retulisse videtur, qui bene gratias egit. Amplificatur autem his fermè rationibus: si vltro collatum est: si citò. Bis enim dat, qui citò dat. Si in tempore: si vberius, quàm alter ausus sit petere: si nihil pro merito: si ne expectanti quidem, si ab eo cui libenter debemus, hoc est, ab eo quem amamus ex animo: aut si in eum collatum est, quem æquè ac nos ipsos charum habeamus. Si quis fideli consilio iuuit, ei dicemus plus deberi, quam qui pecunia: & qui pecunia, quàm qui verbis tantum opem tulit. Neque raro maius beneficium præstat, qui obiurgat, quàm qui donat. Atque his commemorandis declarabimus nos agnoscere beneficii magnitudinem. Ostendemus etiam, si poterimus, quam multos eodem beneficio deuinxerit. Deinde citra iactationem promittemus nos aut parem, aut vberiorem gratiam relaturos. Si nulla referendi facultas erit, certè animum memorem & gratũ pollicebimur: precabimur etiam, vt Deus bene merito referat gratiam, quod nobis ob fortunarũ tenuitatem non licet. Et recta quidem gratias agendi ratio hoc modo tractanda est.

Est præter hanc alia quædam, quæ obliqua dicitur: in qua non agendo gratias, maximè gratias agimus, quum ostendi-

mus aut beneficium esse maius, quam vt vulgari more agēdæ sint gratiæ, aut amicitiam nostram esse maiorem, quàm vt alterum alteri gratias agere oporteat.

Huius generis est lib.3. epist. 13. Quasi diuinarem. Item libr. 10. epist. 4. Gratissimæ mihi tuæ literæ fuerunt. Item lib. 15. epist. 11. Quantæ tibi curæ.

De gratulatoria epistola.

SI quid lætæ rei amico accidit, eius voluptatem gratulatione duplicamus. Gratulandi autem, vt & gratias agendi, duplex est ratio: vna recta, obliqua altera. Recta sic erit instituenda. Initio exaggerabimus omni modo animi nostri voluptatem, q̃ ex prosperis amici nostri rebus ceperimus. Deinde id boni quod consecutus est, variis rationibus attollemus: quod tamen dicemus illius meritis non respondere. Postremo loco bene precabimur, vt quod obtigit, id sit ipsi, amicis, ac Reipubl. perpetuò faustum ac fœlix. Obliquæ verò gratulationis initium ab occupatione capiēdum est. Prius enim narrabimus quid alii essent illi gratulaturi, vt honorem, aut quiduis aliud quod adeptus sit: nos eadem nolle gratulari, sed ipsi potius honori talē virum, qui splendidior multo sit futurus in eo, cuius virtute illum non dubitemus exornatum iri. Aut

certè

certè negabimus nos illi gratulaturos dignitatis acceſſionem: ſed tamen gaudere quod illi facultas & materia data ſit exercendæ virtutis ſuæ, vt qui ante hac ſemper voluerit prodeſſe quamplurimis, ampliorem id efficiendi facultatem ea dignitatis acceſſione ſit conſecutus.

Gratulatoria eſt libr. 2. epiſt. 5. Hæc negotia quomodò, & 9. Plurimum tibi. Itē libr. 15. epiſt. 9. Te & pietatis in tuos. Vel ſaltem eius magna pars. & epiſt. 7. Maxima ſum lætitia affectus. & 8. Marcellum tuum conſulem. & 12. epiſt. Etſi mihi nunquam.

De epiſtola officioſa.

NON infrequens eſt illud literarum genus, quo amicis, etiamſi nihil petant, operam noſtram vltrò deferimus: propterea quod ſunt quos pudet rogare, cum egeant amicorum ſubſidio. Hos itaque oportet vltro delato officio ad poſtulandam amici operam prouocare. Vnde genus hoc non ineptè officioſum vocabitur.

Officioſa eſt lib 6. epiſt. 10. Ego quanti te faciam. Item lib. 5. epiſt. 8. Quantum meum ſtudium.

De diſputatoria epiſtola.

CRebrum quoddam eſt epiſtolæ genus inter eruditos, quod eſt poſitum in diſputa-

ſputationibus, quas ipſi habent de iis rebus, quæ liberalibus diſciplinis, vel ſacris etiam literis continentur. Hic ergò eruditi homines cum eruditis per literas de ſtudiis literarum colloqui ſolent, cum aut ſciſcitantur de re quapiam, aut reſpondẽt ſciſcitanti: aut ſi qua de re parum conuenit, interdum diſputant. Atque hoc quidẽ genus ad exornationem referendum eſſe, ex iis, quæ ante dicta ſunt, ſatis conſtat, cum ſcriptiones à M. Tullio eodem ſint reuocatæ. Scriptiones autem is profectò appellat, quæ ſcribuntur à viris doctis, de iis, quæ bonarum artium doctrina continentur. Quales ſunt Rhetorici, Philoſophicique libri Cicer. aliaque ſcripta generis eiuſdem. Huc pleræque D. Auguſt. & Hieron. literæ referuntur.

De epiſtola collaudatoria.

Collaudatio eſt, qua illum in quem nobis ius eſt, vt officio functum laudamus. Huius epiſtolæ clauſula adhortationem breuem habere debet, qua quidẽ eum cohortemur, vt eam faciendi officii viam, quam inſtituerit, tenere pergat. De literis demonſtratiuis hæc dicta ſint.

Reliqua ſunt epiſtolarum genera duo commodè hoc loco tractanda, quæ ad nullum per ſe genus pertinent: vnum eſt iocoſum, cuius iam ſuprà meminimus,

alte-

alterum mixtum nominatur. Quanquam iocosa epist. si nihil præter iocum habeat, ad demonstratiuum genus est referenda.

De iocosa epistola.

Cuiusmodi debeat esse iocus. Cic. in 2. de Orat. 218. & Quint. l. 6. cap. 3.

IN quouis epistolarum genere, quoties id res patitur, iocũ admiscere debemus. Sed illud inprimis curandum est, vt tempestiuus sit iocus, vt liberalis, vt longè absit ab omni turpitudine, vt decoris meminerit. Qui si aptè adhibebitur, plus sæpenumero habebit momenti, quam oratio, vel maximè seria. Sed affectatio est in eo vitanda quàm diligentissimè.

Iocosa est epistola, libr. 1. epist. 10. Cur enim tibi hoc nõ: Item lib. 7. epist. 12. Mirabar quid esset. & 14. Chrysippus Vettius. & 16. In equo Troiano. Item lib. 9. epist. 4. περὶ δυνατῶν, & 20. Dupliciter delectatus sum. Itẽ lib. 15. ep. 16. Puto te iam.

De mixta epistola.

EPistolæ mixtæ apud Cicer. admodum frequentes inueniuntur: in quibus plures ex superioribus literarum formis concurrunt. Epistola enim, in qua vel petitio tantùm est, vel suasio, vel dissuasio, & cætera, simplex dici debet: quæ verò ex duabus, vel ex pluribus epistolarum formis

mis conflata est, ea iure mixta vocabitur. Quo autem modo variæ res, quæ scribuntur in eadem epistola connectendæ sint docebimus infra, vbi de partibus epistolæ differemus.

Hactenus tria epistolarum genera breuiter exposuimus: nunc tempus est ad cętera, quæ initio polliciti sumus, proficisci.

Deinceps igitur epistolæ partes, genus dicēdi, breuitatē, elegantiā, perspicuitatē, & compositionem consideremus.

DE PARTIBVS EPISTOLAE.

STudiosis adolescentibus hoc loco præcipiendum est, quomodo se ad epistolam scribendam comparare, quatenus inhærere præceptis debeāt. Nec enim ei, qui literas vult scribere, præcepta continuò respicienda sunt: aut ad libros, vnde voculas, sententiolasve aliquot mutuentur, confugiendum: sed prius rem, de qua scripturus est, ipse omni mentis acie contemplari ac dispicere debet: neque id satis esse putandum est. Eius enim ad quē scribitur, natura, mores, & affectus perspectos habeat necesse est: quantumque apud eum vel gratia, vel autoritate, vel meritis denique valeat, recordetur. Atque ex his omnibus diligenter consideratis, epistolæ tanquam viuum exemplar

sumat

sumat. Quo constituto aliquot ex autoribus locos petet, vnde tum verborum optimorum, tum sententiarum copiosam suppellectilem possit mutuari. Eaque omnia commodè mutuata sic oportebit ad rem accommodare, vt non aliunde ascita & accepta, sed domi nata esse videantur. Quo autem quæque ordine in epistola scribenda sint, vel natura, vel ars ipsa monstrabit: sed ab arte hic ordo petetur minus frequēter. In simplicibus argumētis eum sequemur ordinem, quem nobis consilium non præceptiones præscribent. In iis verò epistolis, in quibus innumerabilium propè rerum aceruus congeritur, vel quod in buccam venerit, scribemus: vel ordinem aliquem à loco, tempore, personis, aut rebus animo fingemus: quem transitionibus crebris breuiter significabimus, quibus ea inter se connectātur, quæ natura non cohærebunt. Quæ cū ita sint, illos falli perspicuum est, qui hanc epistolarum libertatem certis quibusdam partibus illigare volunt, cùm ne ipsæ quidem orationes certò partium numero astringantur. Quamobrem de his plura tradere, quam quæ supra tradita & præcepta sunt, superuacaneum videri possit. Aliquid tamen de quibusdam partibus separatim, & necessariò dicendum est.

De

De Salutatione.

SAlutatio, est oratio, quæ in fronte, vel tergo epistolæ posita nuntiat, ac dicit absenti salutem. Salutatio quid.

In salutatione semper veteres proposuere scribentis nomen nomini eius, ad quem scribebatur, quamuis his superior esset, ille inferior. M. C. Trebatio S. D. M. T. C. M. Mario S. D. Obseruāda in salutatiōe.

Item veteres in salutatione, dignitatis, aut magistratus, aut professionis, aut cognationis & assiduitatis nomen postponebant, ad hunc modum, Ισοκράτης φιλίππῳ μακεδόνων βασιλεῖ χαίρειν. Id est, Isocrates Philippo Macedonum regi S. D. M. C. P. Vatinio Imperat. S. D. M. T. Cicero P. Lentulo Procos. S. D. M. Tullius Quinto fratri S. D. Hieronymus Damaso Papæ. Id autem fit contra recentium morem, qui honoris gratia dignitatis vocabula præponunt, sic, Beatissimo Papæ Alexandro sexto, &c. *a Græcā verbum* χαίρειν *sonat gaudere.*

At verò in salutatione assentatio studiosissimè cauenda est: in quam turpiter incurrunt, qui magnam epithetorū vim coaceruant, quibus eius, cui scribunt, laus contineri videatur. Videndum est igitur quæ cuique epitheta possint congruere. Quid in salutatione vitandum.

Hebræi vulgato gentis suæ more pacē optant salutantes. Cuius consuetudinis

D. Pau-

D. Paulus memor hac salutandi ratione vti solet. Gratia vobis, & pax à Deo patre nostro, & Domino Iesu Christo. Quæ quidem salutatio maximè Christianis est accommodata.

b Græci sunt in hac re varii, Πλάτων Δίωνι εὖ πράττειν, hoc est, Plato Dioni benè agere, Ισοκράτης Φιλίππῳ χαίρειν, id est, Isocr. Philippo gaudere. Δημοσθένης τῇ βουλῇ καὶ τῷ δήμῳ χαίρειν, hoc est, Demostenes Senatui populoque Atheniensi gaudere. Vtrunque salutandi modum vno versu complexus est *c* Horatius: ait enim Celso gaudere, & bene rem gerere. Albinouano, Κέλσῳ τῷ Αλβινοβανῷ χαίρειν, καὶ εὖ πράττειν. *d* Budæus etiam tertiũ genus addit, quod est ὑγιαίνειν. Cæterùm illud εὖ πράττειν, bene agere, *e* Aristoteles dicit esse idem quod εὐδαιμονεῖν, hoc est, beatum esse.

b Budæus in comment. in τοῦ πράττειν. Plato in ep. 3. ad Dionysium tyrannũ.
c Horat. l. 1 epi. 8.
d In com. ibidem.
e In li. de moribus, ad Nicomac. c. 4.

Quomodo salutent Latini, exempla quæ supra protulimus satis docent.

Hebræi ergò salutantes pacem, Græci, tum fœlicitatem, tum gaudium, aliquando etiam valetudinem, Latini salutẽ precantur & incolumitatem. Ea salutatio, quæ in tergo epistolæ scribitur, hodie superscriptio dici solet: quæ latinius inscriptio diceretur, præsertim cum Cicero dicat epistolam alicui inscriptam. Hæc nomen, & merita eius continet, ad quẽ scribimus,

bimus, locum præterea, in quo ipse habitat, in hunc modum: Petro Perpiniano Oratori præstantissimo. Lugduni. Sed hic subauditur, habitanti illic, detur epistola. Quod si, Lugdunum dixeris, subaudiendum erit (perferatur) aut aliud, cuius vis sit eadem.

De exordio epistolarum.

EA est epistolarum libertas, vt in eis vnde libet initium sumere liceat: modò id sit eiusmodi, quod illū ad id, quod pares, præparet.

Triplex autem est epistolæ exordiēdæ ratio: aut enim obliquè in epistolam ingredimur, aut rectè, aut abruptè.

1 a In orationibus insinuatione non nisi tribus temporibus Rhetores vtendum putant: at in epistola quoties videbitur, obliquè ingredi licebit, & quam libet lōgè repetere, & quamlibet alienum assumere principium, dum quacunque via tamen ad rem conferat. *a Cic. ad Heren. lib. 1. 9.*

2 Rectum verò exordium his omninò rationibus constituitur, quas tradiderūt ii qui de arte Rhetorica conscripserunt. Sed oportebit eadem præcepta, ad proprietatem epistolarum deflectere. Quod qua ratione fieri conueniat paucis ostendemus. *in part. 28.*

Hoc ergò exordiū ducetur aut ex personis,

sonis,aut ex rebus ipsis:è quibus beneuolentiæ conciliandæ rationes petemus.

b Cic.in part.28. A b personis beneuolentiam colligemus,si de amicitia loquemur a,& mutuis

a A persoe nis maiorum. officiis, quæ inter maiores & parentes nostros,necnō illius ad quem scribimus, extitêre: quod necessitudinis vinculum nunquam à nobis neglectum, sed nutritum potius & confirmatum asseuerabimus. Aut si nulla inter auitos fuit amici-

b A personis vtriusque simul. tia, dicemus eā b à nobis natā & educatā, propter similitudinem studiorum conuictum mutuum,mutua officia.Hic quibus in locis,quonam modo,quibus in studiis pueritiam aut adolescentiam transegerimus,commemoratione iucunda renouabimus. Præterea si qua affinitas intercedat,ab hac contrahenda beneuolentia erit: si nulla, ab aliquo c genere virtutis:

c Cic.in part.28. quæ quo affinitate nobilior & diuturnior,hoc amicitia, quæ ab ea proficiscitur,stabilior,& laudabilior esse solet.Maximè tamen à liberalitate, officio, iustitia,fide,ducere beneuolentiam eiusmodi conueniet.Id verò fiet,his virtutibus, vel in eo,vel in nobis sine arrogantia laudādis. Licebit etiam c illius in nos merita,

c A persona illius cui scribimus, & nostra. cum grati animi significatione quadam vehementer exaggerare: nostra vicissim in illum multa cum verecundia significare;qui nostri de illo sermones,quantope-

re illius literis delectemur: quod commodis illius, & gloria non minus quàm nostra gaudeamus: incommoda verò non minus acerbè, quàm propria feramus: quantam pro illius dignitate, fortunisq; tuendis curam susceperimus. Adhæc si eruditionem aliquam in eo laudabimus, & nostram, si qua erit laude digna, verecundè commemorabimus. Postremo si nostrum incommodum, inopiam, & calamitatem, aut *d* eorum, quos commendamus flebiliter exponemus. Sed videndum, vt hæc omnia ad eam ipsam rem, de qua agitur, sint accommodata.

d Ab eorũ persona, de quibus scribim9.

A rebus ipsis beneuolentiam contrahemus, si negabimus, ad nos pertinere id, de quo scripturi simus, ad illum magnopere: sed nos commodis illius commoueri æquè ac nostris. Præterea si rei magnitudinem, periculum, nouitatem, antiquitatem, vtilitatem, iucunditatem, necessitatem, aut huiusmodi quapiam, commẽdatione eum, cui scribimus, excitabimus. Quanqum *d* hæc ad attentionem, ac docilitatẽ magis pertinent. Quòd si res ipsa durior videbitur, præmonitione opus erit, qua ante ipsa molliatur, quàm illi tractanda proponatur. Neque omninò ea exordiendi forma repudianda est, quæ quibusdam huius ætatis hominibus placet, vt à peruetusta quapiam senten-

d Cic. ad Her. l. 17. & in part. 22.

tia, factove memorabili epistolam ordiamur.

e Cuiusmodi est prima Catilinaria.

3 Sicut abruptus sermo, atque abrupta e oratio dicitur, quæ caret exordio: sic abrupta epistola, quæ insinuationem vel procœmium non habet. Itaque initium eiusmodi, quod abruptè fit, abruptum nominatur. Id autem constat & conflatur ex aliqua oratione pathetica & concitata, aut alioqui figurata, quæ satis declaret, nec procœmium esse, nec insinuationem. Huius rei exempla in epistola Cicer. multa sunt l. 2. epi. 8. Quid? tu me hoc tibi mãdasse existimas, &c. & epist. 11. Putaresne vnquam accidere posse. Initium habet ab admiratione. Item lib. 7. epist. 13. Adeone me iniustum esse existimaui, &c. Item lib. 8. epist. 3. Estne? vici? &c. & epist. 9. Sic tu, inquis, Hirrum tractasti? &c.

Quomodo dicendum. Vale.

QVemadmodum à salutatione inchoamus epistolam, ita dicto Vale, claudimus. Atque hoc inter vtrunque interest, quòd salutatio nonnũquam sic effertur, quasi recitetur à tabellario, ad hunc modum: Cicero Trebatio salutem dicit. At Vale, semper adscribeatis personam accommodatur, sic: Vale, mi Tiro. Cura vt valeas. Fac valeas, &c. Pluribus enim modis Vale dicitur à latinis. Græci quoq;

nòn vno modo Vale dicunt: ἔῤῥωσο. id eſt, Vale ἔῤῥωσθε. id eſt, Valete. *a* ἀλλ' ἔῤῥωσό τε, καὶ μένειν τοῖς ἤθεσιν, οἷς περ καὶ μένεις. id eſt, Sed & vale, & in iſtis tuis moribus perſeuera: vel, & iſtos tuos mores retine. Dicunt etiam *b* εὐτύχει. id eſt, eſto fœlix, &c. εὐτυχεῖν. id eſt *e* fœlices. Præterea, vt hic, & in ſalutatione Latini ponunt, Salue: ſic Græci verbũ, χαίρειν quãuis in calce rarius: Si cupias aut tuo, aut alterius nomine quempiam ſalutari id ante (Vale) ſic facies: fratrem tuum verbis meis ſalutato, Vale Atticæ & Pyliæ ſalutem. Vale. Vbi intelligitur, dicito. Tulliolæ & Ciceroni ſalutem dic. Valete. Atque aliis id genus formis. Verùm illud eſt Chriſtianorum proprium, vt hic alteri perpetuam Dei gratiam precentur, & viciſſim ab eo petant, vt ſe precationibus iuuent.

a *Plato in epiſt.10.*

b *Plato in ep.11. & Demoſth. in epiſtolis, epiſt.5.*

c *Demoſth. in epiſtolis, epiſt.2.3.4.& 6.*

d Si poſt Vale, aliquid ſcribendum occurrat, id poterit honeſtè addi. Vale ſed priuſquam obſignem epiſtolam, hoc addam, &c.

d *Lege Deſp. in arte epiſtolica.*

Quid poſt Vale.

POſt Vale, continenter locum ac tẽpus aſcribunt veteres, hoc modo, *a* Vale. D. prid. Cal. Iun. Athenis. *b* Vale. ad tertium Id. Quintil. ex caſtris, Narona.

a *Cic.l.4. epiſt.12.*

b *Cic.lib.5.ep.9.*

c Vale. Non. Dec. Narona. *d* Vale. Data Id. Iun. Cypro Acromani Iairide. *e* Vale. Dat. IV. Cal. Iun. Pergæ *f* Valete. D. antè diem V I. Kal. Dec. Dyrracchii. *g* Vale. V. Cal. Octob. de Venusino. *h* Vale. VII. Id. Nouemb. Actio, Vesperi. Tempus interdũ & locus præcedunt. *i* I I I. Id. April. Vale. *k* Non. Maiis. Ex castris. Vale. Prætermittitur etiam locus subiecto tempore. *l* Vale. Cal. Febr. M. Messala, & M. Pisone. Cos. *m* Non. Decembr. Vale.

Sæpissimè Cicero, prætermisso, Vale. vel tempus tantum, vel tempus & locum simul subnectit, hoc pacto: *n* Ad III. Non. Martii. *o* Data ad I V. Calend. Nouemb. *p* Prid. Non. Quintil. Vale. *ſ* Id. Febr. *t* Data liberalibus. Tempus & locum simul in his, quæ sequuntur animaduerte. *v* Cal. Sex. Rhegio. *x* XIII. Calend. Sext. Velia. *y* V I I I. Id. Iun. Ciuarrone, ex finibus Allobrogum. *z* Quincto Calend. Sext. castris *a* X V I I. Calend. April. Cordubæ. *b* V I. Id. Iun. Cordubæ. *c* X I I. Calend. Iun.

c *Cic. li. 5. epist. 10.* d *Cic. lib. 12. epist. 13.* e *Cicer. lib. 12. epist. 14.* f *Cic. lib. 14. epi. 1.* g *Cicer. libr. 14. epist. 20.* h *Cicer. libr. 16. epist. 66.* i *Cic. l. 10. epist. 12.* k *Cic. lib. 12. epist. 12.* l *Cic. lib. 1. epist. ad Atticũ, epist. 10.* m *Cicer. libr. 1. epist. ad Atticum, epist. 14.* n *Cic. lib. 7. epist. 13.* o *Cic. li. 7. ep. 29.* p *Cic. lib. 10. ep. 29.* ſ *Cic. l. 1. epist. ad Att. epist. 11.* t *Cic. li. 9. epist. ad Atticum epist. 11.* v *Cic. libr. 7. epist. 19.* x *Cicer. libr. 7. epist. 20.* y *Cicer. lib. 10. epist. 23.* z *Cicer. libr. 1. epist. 24.* a *Cicer. libr. 10. epist. 31.* b *Cic. lib. 10. epist. 32.*

Iunii ex Ponte Argenteo. *d* IV. Calend. Maiis. Ex castris Rhegii. *e* III. Non. Maii. Ex castris, Derthona. *f* Prid. Non. Maii. Ex castris, finibus Statiellensium. *g* Ephe-so ad V. Id. Sext. Dat. *h* XV. Cal. Maiis. Ex itinere.

c Cic. lib. 10. ep. 35.
d Cic. lib. 11. ep. 9.
e Cic. lib. 11. ep. 10.
f Cic. lib. 11. ep. 11.
g Cic. l. 4. ep. ad Atticũ. epist. 15.
h Cic. li. 10. epi. ad Atticum epist. 9.

Non rarò etiam post Vale (quod variis efferri modis ante dictum est) nihil ponitur, sed & illud idem, & cætera, quæ ipsũ subsequi diximus, sæpenumero M. Tullius prętermittit, vt ex ipsius epistolis perspicere licet.

Ex his, quæ diximus, perspicuum est locum variè vsurpari. Ad hæc, temporis nomine, non solùm horam, diem & mensẽ, sed annum etiam comprehendi: id quod exemplum illud ex epistolis ad Attic. petitum, in quo fit mentio de Consulibus, declarat. Romani enim primum ab vrbe condita numerabant: sed postea per Consules annum designarunt, quod is magistratus esset annus. Græci per Olympiadas: Veteres autem ab orbe condito solebant numerare. Nos verò à Christo nato annos dinumeramus. Sic enim dicimus: Vale. Turnoni, Cal. Ian. Anno à Christo nato, millesimo, quingentesimo, septuagesimo primo. Vel, Anno à natali Iesu Christi, primo & septuagesimo, supra millesimum.

Nec absurdum est, quod nonnnlli nostris festis indicant dies, hoc modo: Natali Christi. Natalitio Virginis matris. Pridiè natalis Ambrosiani, &c. quemadmodum à feriis Bacchi, quem Liberum etiã Ethnici vocarunt, Cic. dixit, Dat. Liberalibus, vt supra dictum est.

Cùm autem præponitur ablatiuus accusatiuo ad hunc modum, Tertio nonas, Sexto Calend. duæ voces per eclipsim desiderantur, nempè ablatiuus, die, & præpositio, ante, quæ illum accusatiuum regit. Plena enim constructio his additis esset huiusmodi: Tertio die ante nonas. Sexto die ante Calendas. Hoc etiam præceptum ad eas loquendi formas transferri debet, in quibus numeri nomen accusandi casu effertur in hunc modum: Ad i IV. Non. Iun. k Ad XIII. Cal. &c. Cuiusmodi exempla permulta reperies in epist. Cicero ad Q. Fratrem: potissimum verò lib. 2. epist. 7. & 8. In quibus cum prępositione, ante, supprimitur accusatiuus, diem.

i Cic. lib. 2. epist. ad Q. Fratrē, epist. 14.
k Cic. lib. 3. epist. ad Q. Fratrem, epist. 1.

Præterea, Calendis Ian. siue Ianuarii, & ad Calendas Ianuarii vel Ianuarias, pro eodem dicuntur. Errant enim, qui prępositionem, ad, additam, existimant semper tempus reddere incertum. Qui sermo sũptus est à Græcis: qui τῶν εἰς τέσσαρα, dicunt, pro τεσσάρων, quatuor.

Porrò cùm dicit Cicero, Datum, aut, Data, ſubſtantiuum aliquod per eclipſim deeſſe quis neget? Aptè igitur in hoc, epiſtola, in illo, ſcriptum, ſubaudies. Neque eſt quod ita interpretemur Datum, vt ſit idem quod, ſcriptum, & Data idem quod, ſcripta, cum aliud ſit, epiſtolam dare, aliud ſcribere. Id quod apertè vel vnus Ciceronis locus probabit, qui eſt in epiſtolis ad Atticum: Scripſeram ad te, inquit ille, epiſtolam, quam darem IV. Id. ſed eo die is, cui dare volueram, non eſt profectus. Nec mirum, cùm pridie interdum, aut pluribus etiam diebus ante ſcriberetur epiſtola, quam daretur. Dabatur autē tabellario ad abſentē perferenda. Quamobrem non ineptè dixeris caſum dandi ſuppreſſum debere intelligi, vt ſit hæc integra conſtructio. Scriptum datum eſt tabellario, &, epiſtola data eſt tabellario, &c. *Lib. 9. epiſt. 6.*

Illis omnibus ita perſcriptis in poſtrema parte paginæ, modeſtiæ, aut ſui commendandi gratia, nunc adiici ſolet, tui amantiſſimus nepos Ioannes Fontanus. Tui obſeruantiſſimus cliens Petrus Boiſſatus: aut aliud ſimile, quod à decoro & latinitate nō diſcedat. Quod cum ſit ſcribentis nomen in ſalutatione, quæ eſt frōs epiſtolæ, non ponitur. Atque in hoc capite quæ expoſita ſunt omnia a Deſpaute- a *In arte epiſt.*

rius vno ſubſcriptionis nomine comprehendit.

Quod genus dicendi epiſtolæ conueniat.

CVm variæ ſint argumentorum ſpecies, quas epiſtola recipit, & nuſquam oporteat genus orationis ab argumenti genere diſſidere, huic rerum varietati exile dicendi genus, quod vnum & ſimplex eſt, non poteſt accommodari: ſicut nec omni pedi crepidæ forma eadem conuenire poſſunt: nec iiſdem lineamentis quoduis animal poteſt effingi. *a* Ait enim Cicero de hac re Pæto ſcribens, Epiſtolas, inquit, quotidianis verbis texere ſolemus. Quare ſcribendi literis attenuata dicendi figura, *b* quæ ad infimum & quotidianum ſermonem demiſſa eſt, ſufficere videtur. Illum Ciceronis locum ad eas epiſtolas pertinere putandum eſt, in quibus res tractantur leuiores. Tres enim ſunt ſpecies epiſtolarum, quæ hic ſunt conſiderandæ. Aliæ de rebus magnis & grauibus agunt ornatè, copioſè, & ab orandi facultate, quas poſſunt accipiunt vires, eoque dignitatis attolluntur, vt ad hunc quaſi plebeium ordinem referri non debeant. Has exiſtimandum eſt temperato dicendi genere contineri.

a Libr. 9. epiſt. 21.

b Autor ad Her. lib. 4. 15.

Hu-

Huius generis habendæ ſunt epiſtolæ Ciceronis, quæ ad Q. Fratrem ſcribuntur. Item & quas D. Hieronymus ad Auguſt. & contra, quas D. Auguſt. ad Hieronym. ſcripſit. Quæ quidem omnes vltra ſpeciẽ tenuitatis aſſurgunt. Aliæ ſunt epiſtolæ tam viles & abiectæ, vt nullo ordine cẽſeantur. Quales plerique ſcribunt literas, & olim ſcripſerunt illiteratiſſimas: nec dignæ ſunt, quæ literæ nominentur. Aliæ ſunt cultæ & elegantes, tenues tamen & preſſæ, quæ non alio conduntur artificio, quàm leuiores cauſæ, & controuerſiæ minores. Quanquam artificii ratio non ſemper in omnibus adhibetur. At nunquam non elegantes literas eſſe oportet. Ex his, quæ modo dicta ſunt, id confici volumus, vt epiſtolarum genera omnia, partim ad ſubtile & preſſum, partim ad mediocre & temperatum genus dicendi reuocanda eſſe videantur. Sicubi autem vehementiam orationis requirit epiſtola, & propterea contendet quiſpiam ſublime genus etiam ad literas pertinere, nequaquam pugnaces erimus, dum intelligat cauendum eſſe diligenter, ne ſpecie recti aliquando fallamur. Licet etiam in epiſtolis, vel ipſius Ciceronis exemplo Græca miſcere Latinis, obſcuris alluſionibus vti, ambiguis ſignificationibus, prouerbiis, ænigmatis, clauſulis,

derepentè præcisis. Vbi multa etiam dedita opera obscuramus, ne, si fortè intercipiantur literæ, possint à quo minimè volumus intelligi. Id verò epistolæ quas Cicero Attico scripsit, non obscurè demonstrant.

De epistolæ breuitate.

NOn probamus illorum sententiam, qui volunt epistolam ea breuitate esse, vt intra duodecim versiculos tota contineatur. Nam quemadmodum in re nõ ampla longiorem esse vituperabile est: sic in re copiosa breuitas nimia laudari non potest: propterea quod superuacanea fortasse cum tædio leguntur: certè necessaria non nisi magno colloquentium per literas dispendio prætereuntur. Illud insuper potest accidere, vt in epistola duodecim versiculorum sæpe sex, aut septem redundent: in epistola quingentorum, ne vnus quidem supersit. Nam breuem esse nihil aliud est, quam maximã rerũ vim, quoad fieri potest, in pauca conferre, non dauca scribere: quod alioqui vel indoctissim⁹ quisq; desidiosissimus facere possit.

De elegantia epistolæ.

ELegantiæ nomine latinitatem, & perspicuitatem complectimur. Elegantia

a enim est, quæ facit vt vnumquodque purè & apertè dici videatur: quæ in epistola quam diligentissimè conseruanda est. Atque *b* vt purè, id est, Latine loquamur, non solum videndum est, vt verba efferamus ea, quæ nemo iure reprehendat, sed ea sic & casibus, & temporibus, & genere, & numero, & persona conseruemus, vt nihil perturbetur oratio. Nam vt in simplicibus verbis quod non est Latinum, sic in coniunctis, quod non est cōsequens vituperandum est. Vnde vitia in sermone, quo minus is latinus sit, duo *c* extiterunt, barbarismus, qui in verbis singulis, & solœcismus, qui in coniunctis spectatur. Nam Barbaralexim, quam addunt plerique. Barbarismo volumus contineri. Sed *d* prætereamus præcepta latinè loquendi, quæ puerilis doctrina tradit, & subtilior cognitio, quam ratio literarū alit, aut consuetudo sermonis quotidiani: ac domestici libri confirmant, & lectio veterum oratorum & poetarum. Neque verò in illo altero diutius commoremur, vt disputemus quibus rebus esse qui possumus, vt ea quæ dicamus, a intelligantur, latinè b scilicet dicendo, verbis vsitatis, c ac proprie demonstrantibus ea, quæ significari ac declarari volemus, sine d ambiguo verbo aut sermone, e non nimis longa continuatione verborum,

a *Cic. ad Heren. l. 4. 18.*
b *Cic. in 3. de Ora. 37.*
c *Cic. ad Heren. lib. 4. 18.*
d *Cic. in 3 de orat. 45.*

a Perspicuitas. *De hac lege Quintil. l. 8 ca. 2.*
b Contra Barbarismum & Solæcismum.
c Contra Acyrologiam.
d Contra Amphibologiā.
e Contra Macrologiam.

 f non

f Contra longiores allegorias.
g Contra ἀνοικονόμητον idest, male collocatum.
h Contra Hyperbaton & Synchysim.

verborum *f* non valde productis iis, quæ similitudinis causa ex aliis rebus transferuntur, *g* non discerptis sententiis, non præposteris temporibus, non confusis personis, *h* non perturbato ordine. Quæ quidem omnia adolescentibus præstanda sunt diligenter, vt planè & perspicuè loquantur ac scribant. Neque enim minorẽ lucis & perspicuitatis curam habere debent, quàm ornatus & elegantiæ.

De compositione.

a *Autor ad Her. l.4.19. & Quin. lib. 9. cap. 4.*

COmpositio est apta verborum collocatio, qua suauis efficitur orationis cursus. In hac *a* præcipitur primùm, vt vitentur crebræ vocalium concursiones, quæ vastam atque hiantem reddunt orationem: vt hoc est, Baccæ æneæ amęnissimæ impẽdebãt. Deinde vt fugiatur eiusdẽ literę aut syllabæ, aut dictionis assiduitas nimia: vt, ô Tite tute, Tate tibi tanta tyranne tulisti. Et, flẽtes, plorantes, lachrymantes, obtestantes. Et, ô fortunatam natam, me consule, Romam. Et, nam cuius rationis ratio non extet, ei rationi ratio non est fidem habere. Tertiò vitanda est inconcinna verborum traiectio, & ordo perturbatus: vt, tres Notus abreptas in saxa latentia torquet. Saxa vocant Itali, mediisq; in fluctibus aras. In his hic ordo

do est, Notus torquet tres (scilicet naues) abreptas in saxa quæ laxa latentia in mediis fluctibus Itali vocant aras. Atq; hæc quidem compositionis præcepta diligenter in epistola scribenda seruari debent, si neque hiulcam, neque asperam esse orationem volumus: cætera, quæ in periodis & numeris consistunt, suntq; compositionis Rhetoricæ magis propria, non item: *b* nisi cùm aliquid epistola grauius tractat, vt de Philosophia, de Repub. similibusque. Quibus cùm mediocre dicendi genus conueniat, compositio etiã Rhetorica congruat necesse est. Sed satis esse pueris putamus, si leuioribus rebus humili stilo tractandis initio consuescant, maiorem illam sitim Rhetorico fonte aliquando leuaturi.

b *Quint. lib. 9. c. 4.*

Ciceronis epistolas esse diligenter voluendas.

AD literas rectè scribendas plurimum afferet adiumenti, lectio frequens epistolarum M. Tullii Ciceronis. Is enim, vt aliis in rebus, sic etiam in hoc genere est præclarè locutus: cuius sermone assuefacti qui erunt, ne cupientes quidem poterunt loqui, nisi Latinè. Quamobrem sit illud in his præceptis extremum adolescentulis eleganter scribere volen-

volentibus, Ciceronis epiſtolas eſſe ardẽti ſtudio lectitandas. Nec enim dubitamus, quin optimas literas ſcripturus ſit, qui in illis erit ſtudioſè & multum volutatus.

Epilogus.

a Autor ad Her. lib. 4. 7. Quint. in proœmio lib. 1.
b Cic. ad Heren. lib. 3. 40.

HÆc de literarum ſcribendarum ratione breuiter precipienda duximus: *a* quæ omnia ſtudioſi adoleſcentes adipiſcentur, ſi rationes præceptionis diligentia conſequentur, & exercitatione. *b* Nam cùm in omni diſciplina infirma eſt artis præceptio ſine ſumma aſſiduitate exercitationis: tum in his, quæ de ſcribendis literis tradũtur, minimum valet doctrina, niſi induſtria, ſtudio, labore, diligentia comprobetur.

FINIS.

RE-

REGVLÆ QVIBVS ARTIFICIOSAE PRONVNCIATIONIS ET ACTIONIS RATIO continetur ex Cicerone potissimum, & Quintiliano collectæ.

CVM in dicendo præcipuum id esse videatur, vt non modò verba rebus, sed vox verbis, motusque voci sit accommodatus: vtilissimum fore visum est, actionem Oratori propriam regulis quibusdam breuiter complecti, quarum primæ spectarent ea, quæ dicendi actum præcedũt, mediæ pronunciationem ipsam & actionem; postremæ verò ea, quæ dicendi actũ consequuntur.

DE IIS QVAE PRAECEDVNT ACTVM DIcendi.

REGVLA I.

ANTE omnia in suam orationem orator memoria teneat, ita vt expedire eã, siue interruptione, vel hæsitatione possit recitare.

II. DE-

II.

DEINDE pronunciando se priuatim exerceat. Optimum autem exercitationis genus esse ducat, quòd ipsi operi sit quàm simillimum. Rerum igitur dicendarum varietatem priuatim obseruare, iisque sonum vocis, & gestum, regulis quæ sequũtur præscriptum, accommodare consuescat.

III.

EXPEDIT rerum, ac personarum de quibus agitur, locos diuersos ante se dextra læuaque positos animo cõcipere, ad quos oratio, manus, oculi, motusque omnis conuertatur.

IV.

QVICVNQVE dicendo volet excellere, vocis suæ quãtitatem, qualitatem & vsum, priuata exercitatione vt experiatur necesse est. Quantitas vocis duas habet cautiones: vna est, vt tantus sit sonus, quantum loci amplitudo postulabit: altera, vt cui vox imbecillis, insurgat raro, rarius exclamet, sæpè summittat, deflectat sæpè. Qualitas vocis item in duobus maximè cernitur; vt clara sit, vt suauis: claritas augebitur frequenti exercitatione pronunciandi ea quę clamorẽ habeãt, & disputionem, & flexum: Suauitas imitatio-

tatione suauiter presseque loquentium: eaque soni moderatione, qua vox ad finē vsque pura, flexibilis, facilis, aptaque perseueret.

V.

Ad motus vocisque confirmationem prodest amici prudentis iudicium adhibere; gestum à minori motu, ad maiorē; vocem ab imis sonis ad summos præparare: spiritumque vt longior fiat pluribus versibus continua voce pronuntiatis subinde producere.

VI.

Non nisi gratia à Deo precibus expetita, animoque prius collecto, & alacritate quadam excitato: naribus ac pectore (si opus esse videatur) præpurgatis: veste composita, cum dignitate quadam, ac grauitate, neque timidus, neque perturbatus ad dicendum accedat.

VII.

In loco vbi dicendum erit consistens, antequam orationem incipiat, exhibito auditoribus honore, breuiuscula mora sibi comparet attentionem.

DE IPSO DICENDI ACTV.

CVM actio nihil sit aliud quàm vocis & gestus moderatio: constat omnem actionem duabus partibus contineri: Sono vocis, & corporis motu. Duo igitur regularum genera constituenda sunt: vnum, quod ad vocis moderationem, alterum, quod ad gestus conformandos pertineat. Maximè enim solet auditores permouere, quod simul & vox auribus, & gestus oculis, & verba mentibus impresserunt.

DE MODO PRONVNCIANDI ET VOCIS MOderatione.

REGVLA I.

FACTO silentio, iamque ad audiendum compositis auditoribus; principium orationis (nisi sit abruptum) clarè suauiterque pronunciandum est: non clamosè, neque præcipitanter, sed temperata voce: graui, & distincta modulatione.

II. AB-

II.

ABSOLVTO exordio, ſono vocis apertiore narrabit Orator; acriore confirmabit, flexo miſerationem, elato ſummos affectus, ſubmiſſo compoſitos pronunciabit.

III.

VOX non vltra vires vrgenda Sonorũ igitur mediorum præcipuus ſit vſus: rarior aliorum, minuſque diuturnus: nam ſummi rumpuntur: imi vim non habent, vox autem media quę nimiam depreſſionem, &elationem fugiet, eſt longè omnium opima.

IV.

NON diu tamen eodem tenore pronunciabit, nec quaſi leget orationem, ſed adhibebit vocis varietatem, pro rerum, & affectuum varietate: atrocia concitate, triſtia flebiliter, mediocria temperatè, grandia cum maieſtate quadam; commutationem voce commutata; Proſopoęiam vel Reticentiam conſciſa proferet: obſeruabit ſouum proprium affirmantibus, indignantibus, dolentibus, interrogantibus, mirantibus, vel alio affectu cõmotis: voces denique pro ratione rerum ſignificatarum vel contracta voce formabit, vel erecta.

V. La-

V.

LATINI accentus exprimãtur ſuauiter, ſono Latinarum literarũ proprio, ſine tremore vocis, aut cantillatione, ſine peregrina, vel ruſtica, vel effæminata, vel dura literarum appellatione, ſine ſibilo, hiatu, balbutie, & id genus aliis deformitatibus. Pronunciatio peregrina eſt, quæ Gallicæ, Germanicæ cæteriſque linguis barbaris eſt propria.

VI.

CVM in oratione neque tarditas nimia placeat, quia ſoluit animos: inueniẽdi difficultatem fatetur, & auditorem cogit expectare; neque volubilitas, & celeritas nimia: quia diſtinctiones, & affectus confundit, verba truncat, nec ſatis intelligitur: optima erit promptitudo moderata, quæ vel ſola magnam parit admirationem. Quemadmodum memoriæ defectus contemptum parit. Nemo enim magnoperè mirabitur Oratorem, qui chartam inſpexerit, qui titubauerit, qui hæſerit, qui repetierit ſemel dicta: quantumuis vel tuſſiendo, vel mungendo, vel ſpuendo, vel ſeſe inclinando diſſimulantem.

VII.

QVANQVAM neque dictionum, neque

que membrorum, neque periodorum fines ita cadere debent: nec ita rapi vel absorberi syllabæ, vt non intelligantur: molestum tamen est & odiosum nimis expressè literas & syllabas singulas velut annumerare. Optimi Oratoris est literas nec opprimere, neque nimis exprimere, voces tamen integras proferre: pedes etiam & numeros docta modulatione nonnunquam seruare, præcipuè in finibus sententiarum.

VIII.

VT Oratio distincta sit, obseruandum est vbi, & quonam modo inchoanda, vel sustinenda sit, ac quasi suspendeuda sententia: denique vbi & quonam modo deponenda; vbi comma fuerit, vel parua quædam distinctio, breuioribus interuallis vtendum: in membris longioribus finibusque sententiarum, ea moderatione respirandum est, vt nec celeritas fatiget Oratorem, neque traditas afferat tædiũ audientibus.

IX.

NEMO cum sonitu respiret, aut maiorem spiritus, ac vocis partem per nares emittat,

Z.

FINEM orationis, si ad concitandum

sit

ſit compoſitus, decet continens & intẽtior ſonus, & concitata pronunciatio: ſi ad placandum, lenis; ſi ad hortandum, erectus, ac concinnus; ſi ad mærorem, flexus; ſi ad lætitiam, plenus, & iucundus.

DE GESTV.

REG. I.

HONORE auditoribus exhibito, manibuſque in pulpitum prolatis ſtet rectus Orator, curamque ac grauitatem prę ſe ferens exordiatur, idque vel ſine vllo manuum motu, vel nonniſi leniter paululumque vltra ſinum protenſa dextra, cum graui ac tarda in vtramque partem laterum flexione, eodem ſpectautibus oculis; capite & humeris ſenſim obſecundantibus. Quæ quidem laterum virilis conuerſio, totius orationis decurſu nunc ad hos, nunc ad illos geſtum diriget, tum varietatis gratia, tum etiam vt Orator commodius à pluribus videatur & audiatur; denique vt inter res ipſas de quibus agit quaſi verſetur, ſingulas ad locos à ſe conceptos geſtu referens, quo magis & affici poſſit, & afficere. Nam Cicero laterum, & totius corporis motu rebus cõſentiẽte plus agi putat, quam ipſis manibus. Manus autem compoſitio ad exordiendum

diendum, geſtuſque reliquos eleganter formandos, plerunque vel ea eſſe debet, qua pollice eleuato cæteri digiti leniter inflectuntur: 2. vel qua medius digitus in pollicem contrahitur tribus explicatis. 3. vel qua primis qnatuor digitis leniter in ſummum coeuntibus, manu non procul ab ore, vel pectore ad nos conuerſa fertur. ac deinde prona, ac paulum prolata laxatur: 4. vel indice medioque digito (quod narrationi commune eſt) pollici iunctis, reliquis duobus remiſſis: 5. vel ſi quid monſtrandum erit, pollice intus inclinato quatuor digitis remiſſis.

II.

NARRATIONEM decet manus magis prolata, geſtuſque liberior. Confirmationem acrior, & variis affectibus, de quibus paulò poſt dicetur, concitatus.

III.

CAPITIS nutum frequentem in vitio eſſe conſtat. Non tamen dedecet aliquando vel annuendo confirmare, vel renuendo negare, vel capitis in latus inclinatione languorem, vel auerſione remotionem ind gnationem, execrationẽ, aut conceſſionem ſignificare, vel dubitationis, admirationis, & ſimilium affectuũ naturæ, motu capitis obſequi.

IV. VVL-

IV.

VVLTVS, & aſpectus, nunc ſeuerus ſit, nunc blandus: nunc erectus, & alacer: nunc ſubmiſſus, & triſtis pro rerum diuerſitate.

V.

OCVLI nec in trabes, nec in certū aliquem locum ſtupidè figantur, ſed motus animi ſignificent: & vario coniectu res de quibus dicitur notent.

VI.

LABRA modico motu verba efficiant: quæ nec lingi, nec morderi, nec replicari, nec torqueri, nec porrigi, nec diduci conuenit:

VII.

COLLVM neque contractum eſſe decet, neque tenſum. Ceruicem quoque neque rigidam, neque ſupinam, ſed naturali ſitu rectam.

VIII.

DEDECET humeros iactare, vel attollere, vel contrahere.

IX.

BRACCHIA ne deorſum incompoſita pendeant, nec ſurſum vt tela iactentur: dexte-

dexterum tamen bracchium ſubinde liberius proferre licebit, non tantum quãtum patet eius longitudo (niſi fortè cùm ad res magnas geſtu notãdas in latus exſpatiabitur, explicantibus ſe in proferenda manu digitis) neque vt velut ad tectũ, aut ad cælum erigatur: verùm vt in ſummis tantum affectibus, & raró, vel ad dextram ſupra oculos, vel ad ſiniſtram ſupra humeros extẽdatur. Siniſtrum verò bracchium plerumque ita tenendum, vt quaſi angulum rectum faciat, niſi cum motibus dextri obſecundabit.

X.

CVM duo ſint actionis genera, quæ magis in manum, quàm reliquarum partium corporis motu cernuntur: aut eam exhibent animi, quam docet impetus animi, & naturæ: aut eam quæ cura, ſtudio, & arte comparatur: vtramque & naturalem, & artificioſam actionem Orator obſeruabit: ita videlicet, vt motui naturali quendam modum arte adiungat: quo nimia tarditas, nimia celeritas, & immoderata vaſtitas euitetur.

XI.

NVMEROS, argumenta, partes, membra, diſtributionẽ, vel in digitos elegãter cõſpicuo motu digerat: vel motibus quibuſdam manus dextræ perducentibus ſe-

riem numerorum à læua ad latus dextrũ: vel repetito quolibet leni dextræ motu significet enumerationem: vel modica percussione dextræ in sinistram, duobus vltimis digitis dextræ palmam, aut pollicis initium prementibus, pollice ad medios articulos iuncto prioribus.

XII.

SVPPLICABIT & inuocabit vtranque manum vel attollendo, vel submittendo: aut vtraque manu vel iuncta, vel protensa.

XIII.

AVERSABITVR, execrabitur, negabit humero sinistro prolato, capite ad dextrã vergente, manuque dextra propellente in læuam: vel vtramque manum in sinistrũ latus auertens: vel vtramque auersam obiiciens: vel in latus vtrimque distendens: vel demissis superciliis dextram excutiens: vel capite renuens: vel dextra in sinistrum latus vnde descendebat resiliente.

XIV.

INTERROGABIT dextram manum conuersam paulum attollens.

XV.

VRGEBIT & instabit alterno motu nunc

nunc totam manum contrahens, nunc totam explicans: vel duos medios pollici subiiciens, vel indice prono reliquis tribus pollice pressis: vel summo indice sinistræ leniter apprehenso: vel medio indicis sinistri articulo apprehenso ad vehementiam maiorem: vel medio dextræ digito in pollicem contracto, reliquis tribus explicatis, ac bracchio liberius prolato.

XVI.

DISTINGVET contraria, transferēdo dextram supinam in sinistrum latus, eadem mox prona in dextrum relata, pollice intus inclinato, & quatuor digitis remissis: vel summo pollice iuncto dextri indicis vngui medio, cæteris digitis remissis, Distinguet etiam subinde membra sẽtentiarum, & commata manui dextræ accommodata & leni percussione, nunc maiori, nunc minori, nunc pressa, nunc citata, pro rerum, & effectuum diuersitate.

XVII.

DEMONSTRABIT seipsum, manu ad se relata, vbi de se loquetur: ad res alias demonstrandas quod attinet, cùm septem sint partes motus, quinque earum probantur. Nam dextra, læuaque sur-

ſum, deorſum, & ante nos rectè oſtendimus: ſed poſteriora geſtu retrorſum conuerſo demonſtrare, vel circulis ſiue geſtibus in ſe redeuntibus vti vitioſum habetur.

XVIII.

DISPVTABIT ſummo indicis articulo apprehenſo duobus proximis digitis modicè curuatis minimo interim vix inflexo.

XIX.

EXPROBRABIT tribus digitis preſſis, & indice explicato: vel preſſo medio reliquis tribus explicatis: vel preſſis mediis duobus.

XX.

PROFERET rationes manu primum collecta digitis deorſum ſpectantibus: mox eadem conuerſa, & reſoluta, vt quaſi reuerà aliquid proferat.

XXI.

TIMEBIT prolata manu dextra ad pectus, quatuor primis digitis in ſummũ coeuntibus, quę deinde prona, & protenſa laxetur.

XXII.

IRASCETVR ſtricto pugno, percuſſoque

toque pulpito, vel pugno compresso, pectori admoto, voce aspera, vultu turbato, motibus concitatis, neque vitium erit manu dextra ad sinistram ad humeri altitudinem eleuata, aut femur (si extra suggestum dicetur) percutere: aut contẽtione incipienda vel finienda pede supplodere.

XXIII.

POENITEBIT pressa manu admota pectori. Dolebit autem manibus inter se complicatis, vel vtrinque deiectis.

XXIV.

ADMIRABITVR manu resupina à minimo digito collecta, flexuq; redeũte explicata, & conuersa, oculis in cælum suspicientibus: vel motu dextræ ad sinistram, vnde descendebat, resiliente.

XXV.

IRONIAM ostendet vtroque indice in latus protenso, vultu paulum auerso.

XXVI.

ASSEVERABIT dextra remissa, pectori admota: vel manibus quadam grauitate complosis.

XXVII.

HORTABITVR manu dextra,

caua, rara, supraque altitudinem humeri dextri graui motu elata.

XXVIII.

MITIGABIT animos manu pansa leniter, paruisque interuallis mota, humeris paulum, modesteque assentientibus.

XXIX.

MODVM & copiam manibus vel parum vel multum disiunctis ostendet: vocabit manu sursum flexa: dimittet auersa; minitabitur erecto & moto indice: prohibebit, promittet, poscet motu, quem his affectibus impetus naturæ proprium dedit.

XXX.

GESTVS optimè incipitur dextra à latere sinistro simul incipiente sententia: deponitur autem à dextris vna cum fine sententiæ. Ineptum est gestum sæpe deponere in eadem sententia, aut sæpe finire motus sinistros.

XXXI.

SOLA sinistra rarissimè gestum exhibebit: sæpè tamen sinistram cum dextra mouebit orator: vt cum ostendet rerum multitudinem, magnitudinem, vastitatem, vel summos affectus, vel vbi vocem per conduplicationem repetet.

XXXII.

VTRAQVE manus nonnunquam immota conquiescet: præsertim vbi nullus affectus assurgit: displicet tamen diuturna motus intermissio.

XXXIII.

CVRANDVM est, vt varietas gestuũ, varietati vocis & verborum respondeat: quod vt commodius fiat, quatuor obseruanda sunt. Primum tota causa videnda, an læta sit, an tristis: Deinde partes maiores; nam exordio lenis motus, confirmationi verò conuenit alacrior: Tum sententiæ, quæ variantur affectibus, quibus exprimendis adhibenda est diligentia. Postremo verba singula: quorum aliqua subindè vel cum emphasi, vel cum irrisione, vel cum admiratione, vel aliqua alia significatione proferenda sunt.

XXXIV.

NEMINI placet eiusdem gestus perpetua repetitio: argutiæ tamen & flexus superstitiosi quos veteres non tradiderũt, procul sunt remouendi.

XXXV.

FINIS orationis si ad concitandum sit compositus, motus requirit concita-

tos: si ad placandum, lenes & suaues: si ad tristitiam, tardos ac fractos: si ad lætitiā, alacres, celeres, excitatos.

XXXVI.

DIGNITAS & modestia in omni motu magnoperè est obseruanda, & decorum illud quod latenti quadam & inexplicabili ratione aliud est in aliis, quod quidem sine arte non est, neque tamen totum arte tradi potest.

DE IIS QVAE ACTVM DICENDI CONSEQUUNTUR.

REG. I.

ABSOLVTA oratione, reuerentiam exhibens auditoribus, addat tritum illud, Dixi.

II.

SIMVLATQVE ad sua se receperit, post actas Deo gratias diligenter animaduertat sicubi errauerit vel defecerit: aliorum de se iudicia conetur intelligere: & ea quæ prudentibus & eruditis viris displi-

plicuerunt, in melius componere: quæ placuerunt, vsu & exercitatione confirmare. Quòd sanè plurimum conferet ad eximiam dicendi facultatem breui comparandam.

FINIS.

Ex Lib: Lud: Mich: Fassechi